
NAZIONALE
8
52 C
19
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V.
ROMA



DE POTESTATE APOSTOLORVM DISPVTATIONES ADVERSVS GABRIELEM PHILADELPHIENSIVM Metropolitam, & alios hæreticos.

QVIBVS ACCEDIT SECVNDO'

Confutatio Commentarij De Imperio Summarum Potestatum circa Sacra, quem Hugo Grotius Anno D. 1652. Hagæ Comitis in lucem prodidit.

ET TERTIO'

Redargutio Dissertationis, quam nuper Dauid Blondellus pro iure Plebis in regimine Ecclesiastico edidit.

AVCTORE


F. ANGELO PETRICCA A' SONNINO Ord. Min. Con. S. Fran. Art. & Sac. Theolog. Doct. & S. Congregat. Indicis Consultore.

ROMAE, Typis Francisci Fælicis Mancini. M. DC. LVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

[illegible]

BEATISSIMO
SANCTISSIMOQVE PATRI
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONT. MAX.





PVS hoc pro ſuprema ſuper mili- tantem Eccleſiam poteſtate, Petro à Domino exhibita, à recentioribus hæreticis oppugnata, & in hoc volumine propugnata, Tibi Beatiſsime Pater, duplici iure ſupplex accedit: & quia diſponente Domino, Petri verus hæres exiſtis: & mea peculiari obſeruantia. Etenim cum ab eo tempore, quo Tua ſumma maturitate in reb⁹ ſerijs Chri-

stianæ Reipublicæ agendis cognita, ad Vrbem euocatus aduenisti animaduertissem, multarum quidem virtutum splendore Te à Deo ornatum esse, morum scilicet integritate, animi celsitudine, mentis constantia summo Principe digna, Sacrarum, & humanarum literarum peritia, & Zelo catholicæ Fidei propagandæ, meipsum Tuo patrocinio illico dicaui, & perpetuæ seruituti addixi. Cumque hæc, præcipuè his temporibus sint summo Sacerdoti apprimè necessaria, propter innumerabiles clades, & horribilem vastitatem, quam Christianæ Religioni, hæretici & schismatici adferunt, Deus qui Ecclesiæ suæ omni tempore prospicit, Te ad fastigium istud euexit, & in hæc periculosissima tempora reseruauit, vt Tua summa prudentia Terrarum Orbi fluctuanti subuenias. ego enim qualiscunque Ecclesiæ catholicæ filius, piæ Matri tam grauiter laboranti, pro virium mearum tenuitate, in Orientalibus, & Aquilonaribus Daciæ regionibus, opem quam potui olim tuli, et cum annos plures catholicam veritatem in illis Gentibus educendis, et in Fidei controuersijs explicandis, et scribendis posuerim, nunc etiam vt piæ menti ac zelo Sanctitatis Tuæ obsecundarem, eos qui

nuper

nuper aduersus catholicam veritatem nefaria, virulentaque scripsere, redarguere ac refellere volui. Quod cum absolutum sit, Sanctitati Tuæ offero atque subijcio: nec ambigo quin hoc laborum meorum munusculum sereno vultu sit susceptura, cum sit humillimæ ac filialis reuerentiæ & addictissimi animi monimentum, Sanctitati Tuæ æqua mente consecratum: Cui pro Ecclesiæ catholicæ pace, & amplificatione dies, noctesque laboranti, multos annos, et fausta omnia ac felicia à D. O. M. enixè præcor. Romæ, mense Ianuario, Anno D. 1656.

Beatitudinis Tuæ

Seruus Humillimus

Fr. Angelus à Sonnino Min. Con. S. Congregat. Indicis Consultor.

F. Felix

F. FELIX GABRIELLIVS DE ASCVLO

Art. & Sac. Theolog. Doctor. vniuersi Ord. S. Fran. Min. Con. Minister Generalis: ac in S. Congreg. Rituum Dom. N. Papæ Consultor.

OPus, cui titulus est, De Potestate Apostolorum aduersus hæreses, elaboratum ab Ad. Reu. P. Magistro Angelo de Sonnino, nostri eiusdem Ordinis, atque examini & recognitioni Ad. R. P. Magistri Antonij Venusini à nobis commissum: cum ab illius diligenti indagine peruentilatum nihil repertum sit continere, quod illi ad prælum viam præcludat: vt prælo detur his nostris, seruatis seruandis, concedimus. *Dat. Romæ Die 13. Nouembris 1655.*

Fr. Felix Gabriellius de Asculo Minister Generalis.

Fr. Bernardinus Sacchius à Fabriano Sec. Ord. & Assistens generalis ac Prouincialis Daniæ.

Imprima-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

M. A. Oddus Vicesgerens.

Opus valde pulchrum de Poteſtate Apoſtolorum, Angelicè pretioſis conſtructum lapillis ab A. R. P. Fr. Angelo Petricca à Sonnino Sacræ Theologiæ Magiſtro Ord. Min. Con. ac Sacræ Congregat. Indicis Conſultore, ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Fr. Raymundi Capiſucci Sac. Ap. Palatij Magiſtri examinaui: nihilque contra ſanam Fidem, Summorum Pontificum Sanctiones ac Canonum leges animaduertens, digniſſimum typis in aliorum per maximam vtilitatem adiudicaui. e Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam. Romæ Die quarta Ianuarij 1656.

Fr. Clemens Blaſius Balnearienſis Ord. Prædicat. Sacræ Theologiæ Magiſter, ac eiuſdem Profeſſor in Collegio Romano D. Thomæ Aquinatis.

Imprimatur. Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſter, Ord. Prædicatorum.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM.

DISPVTATIO PRIMA

DISPVTATIO SECVNDA

DISPVTATIO TERTIA

DISPVTATIO QVARTA

DISPVTATIO QVINTA

DISPVTATIO PRIMA.

An Christus Dominus Ecclesiam suam militantem sic statuerit, vt esset Regnum sine Rege. Ouile sinè Pastore. Exercitus absque Duce. Domus absque Patrefamilias. Nauis absque Nauclero. Vel suam primatus Potestatem vni Apostolorum commiserit.

Hanc Disputationem Auctor paucis complectitur verbis: quia alibi fusè de Petri suprema potestate disseruit. Nunc autem de cæterorum Apostolorum potestate disceptat.



OTESTAS, quæ à Philosophis, & Iurisperitis multipliciter vsurpatur, prout ad Magistratum attinet, imperium ac dominium indicat: L. Potest. de verbor. signific. iuxta quem sensum hic à nobis sumitur. Hanc Christum Dominum super cuncta creata, plenissimè á Deo Patre accepisse, vtriusque Testamenti luculenter sacra testantur eloquia. *Dabo tibi Gentes hæredi-*

tatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: psal 2. *Dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges Terræ: omnes Gentes seruient ei.* psal. 71. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra* Matth. 28 Quam potestatem, quatenus ad vniuersæ Ecclesiæ militantis regimen attinet: non æquè omnibus Apostolis, sed eam Primariam Petro tribuit, vt partes suas exequeretur in ea, quia naturali præsentia ab illa erat recessurus. Huiuscemodi autem veritatem demostrant.

DIVINAE SCRIPTVRAE
GENERALIA CONCILIA
SANCTI ECCLESIAE PATRES.
CONSVETVDO
RATIO

Sripturæ, Nam vt ad Apostolatum munus, illum Saluator euocauit, dixit, *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* Io. 1. Quoniam sępesępius in Scripturis sanctis Christus Iesus petra denũciatur: nomen suum illi ascribere proponit, quia Vicariam eius potestatem in terris gerere debebat: post quam in Patris dextera consessurus, ascendisset in Cœlum Et proinde, vt Mattheus ca 16. enarrat, euidentius id ei pollicitus fuit, cùm ait:

Beatus

Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prœualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues Regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris &c.

Quod omnib⁹ Apostolis minimé promissũ fuisse constat: quia Simoni, qui filius erat Ionæ, eam spondet potestatem: nec Ionæ filij, cæteri Apostoli extiterunt: nec illis, Petri nomen in perpetuum fuit attributum. Et consimili forma, postquàm à mortuis resurrexit, cum profecturus esset ad Patrem, á cæteris Apostolis illum excipiens, eam quam promiserat potestatem, exhibuit, dicens. *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce agnos, & oues meas.* Ioan. 21. Et Ecclesiæ suæ Pastorem eo sensu promulgauit, quo olim Dauidi dictum fuerat, cùm Rex Israel fuit constitutus. *Tu pasces populum meum Israel 2. Reg. 5.*

Et post Petrum, Romanum Pontificem eandem Petri potestatem habere, affirmare cogimur. enimuerò, eos qui oppositum opinati audent, eo quia Petrum, & non succes-

ſorem nominauerit Saluator, potius inſanire, quàm rectè ratiocinari, erit aſſerendum. Nam fateri ſimiliter oporteret, nec amplius eſſe in Eccleſia facultatem paſcendi, ſeu regendi, docendi, Euchariſtiam conficiendi, baptizandi &c. quia nullibi dictum eſt in collatione Eccleſiaſtici miniſterij, Vobis, & Succeſſoribus. ſed ad Apoſtolos tantùm ſermo directus fuit, vt ipſa Scriptura teſtatur. igitur omne munus ab initio traditum defeciſſet, & Eccleſia euanuiſſet. vel non eſſet huius temporis Eccleſia, illa quam Saluator conſtruxit, & coagmentauit: quod impium eſt, atque blaſphemum opinari.

Omne igitur ius, & huius generis munus, Apoſtolis traditũ à Redemptore, etiam Apoſtolorum Succeſſoribus vſque ad conſũmationem ſæculi datum fuit: quia vſque ad conſũmationem ſæculi Eccleſia permanebit. cum Apoſtolis tunc ſermonem habebat, quia Eccleſiæ vniuerſæ eo tempore miniſterium, & perſonam gerebant. Quod magis aperuit, cùm dixit Matth. vlt. *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi.* quod Apoſtolis tantùm, quibus loquebatur, dictum fuiſſe, impoſsibile eſt: quia ipſi vſque ad conſummationem ſæculi non

non erant permansuri, vt Ecclesia permanebit. igitur quæ Apostolis conferebat, & illorum successoribus collatum esse, proculdubio asseuerandum erit, etsi successores Saluator non denunciauerit, ergo cùm Petro Primarium regimen vniuersalis Ecclesiæ dedit, & successori illud dedisse, dicendum est.

Romanum autem Episcopum Petri hæredem esse, euidentissima res est: quia Petrus hanc fundauit Cathedram, & in ea suum tenuit magisterium: vt innumeris constat testibus. adeout Caluinus, qui cum cæteris hæreticis id in dubium vertere impudentissimè ausus fuit, omnium veterum Synodorum, Sanctorum Patrum, Doctorum, & Scriptorum cuiuscumque sæculi post Christum conspiciens euidens testimonium, lib. 4, Instit: cap. 6. §. 15. dicat. *Tamen propter Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus sit: sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.* sed excæcauit illum malitia sua: quoniam idem scriptorum consensus, qui Petrum Romæ martirij lauream adeptum fuisse testatur, & illius perfidiam ac pertinaciam conuicit: Romanum Episcopatum fundasse, ac suscepisse: eique, quem eius-

dem Vrbis reliquit Episcopum, suam Cathedram tradidisse, pa lam edicit. geminas ergo propositiones, vt veràs venerari debuerat.

Scriptura autem Actorum id non refert, quia eò non peruenit: cum primum Pauli aduentum ad Vrbem tantùm enarret, ibique narrationem absoluat: nec quæ postmodum operati sunt Apostoli ostendat. Quamobrem Traditioni antiquæ: Sacrorum Synodorum communi sententiæ: veterum scriptorum testimonio: vetustissimæ consuetudini pro venerandis in Vrbe Apostolis Petro & Paulo, quam perpetuò, indesinenter, & assiduè vniuersus Cristianus Orbis habuit, fides est adhibenda. Reluctanti autem, & huic perspicuæ veritati obsistenti, illud Iob 8. & Deut. 32. obijciemus. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam. Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

GENERALIA CONCILIA

VNiuersalis Ecclesia in Synodis congregata, Petri & Romani Pontificis supremam potestatem assiduè venerata fuit. Ni-

cænum

cænum primum Can 6. vt in 4 generali Synodo coram Patribus, Papæ Legati Act. 16. retulerunt; sic habet. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum: Teneat autem & Aegiptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam Romano Episcopo hæc est consuetudo: Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est &c.*

Cōcilium generale tertium, quod est Ephesinum, Cirillum Alexandrinum Patriarcham Papæ Legatum dixisse Act. 1. refert, Nestorium Episcopum Cōstantinop. ab episcopatu & sacerdotio deponendum esse: quia sic Cęlestinus Romanus Pontifex per epistolam pręcipiebat.

Act. 2 Philippus alter Papæ Legatus dixit. ☞ *Quæcunque* per nos Scripsit Sanctisiimus Papa noster Cęlestinus Sedis Apostolicæ Episcopus, iubete legi, ac inter cōmentarios Ecclesiasticos referri, vt cognoscatis qualem omnium Ecclesiarum curam gerat. iubet autem, vt quæ ab eo statuta fuerunt, exequantur. Sancta Synodus respondit. Hoc iustum iudicium Cælestino custodi fidei sancta synodus gratias agit. Cui idem Papæ Legatus inquit. Gratias agimus sanctæ synodo, quod literis sancti bea-

tiquæ

tique Papæ nostri recitatis, sanctos cantus, sanctis vestris vocibus, sancto vestro Capiti exhibueritis: non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei, & etiam Apostolorum Caput esse beatum Apostolum *Petrum.*

Concilium generale quartum quod est Chalcedonense Act. 1. hæc ennarrat. ☞ *Paschasinus* Legatus Leonis Papæ sic fari cæpit. Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum præcepta habem9 præ manib9, quib9 censuit interloquendum, vt præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. hoc nos obseruare necesse est. Senatus dixit: Quid obijcitur Dioscoro? respondit Legatus. Quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere, sinè auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquã licuit, nunquã *factum est.* ☜ Act. 2. Patres dixerunt. *Petrus per Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt. hæc vera fides, hæc Patrum fides.*

Act. 3. idem Pascasinus Legatus ait. *Notum* est sanctæ Synodo, Beatissimum Leonem nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se

Presi-

Pręsidere præcepisse &c. Et sententiam damnationis Dioscori proferens, inquit. *Sanctissimus*, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & Senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam synodum, vna cum ter beatissimo, & omni laude digno Petro Apostolo, qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Episcopatus *dignitate* &c. Et Subscribens ait. *Paschasinus* Episcopus Ecclesiæ Lilibetanæ Prouinciæ Siciliæ vice Beatissimi atq; Apostolici vniuersalis Ecclesię Papæ Vrbis Romæ Leonis, sãctæ synodo Pręsidẽs, in Dioscori dãnatione, consensu vniuersalis Concilij *subscripsi.*

Et in epist. eiusdem synodi ad Leonem Papam sic habetur. Tu quidem nobis, sicut mẽbris Caput præeras, in his qui tuas vices gerebant, beneuolentiã præferens. &c. *Et post hæc* omnia insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia á Saluatore commissa est, extendit insaniam, idest contra tuam Apostolicam sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te qui Corpus Ecclesiæ vnire festinas &c. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium: & sicut nos Capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua,

Filijs, quod decet, adimpleat, &c.

Concilium generale sextum, quod dicitur Constantin. tertium, Act. 8. hæc refert ☞ *Suggestiones* directas á Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ ad á Deo coronatum, & mansuetissimum nostrum dominum Imperatorem, tanquam ex Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri prædico, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & *amplector &c.* ☜

Et in synodali epistola totius Concilij sic legitur. ☞ *Itaque* tibi, vt primæ sedis Atistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus, stanti super firmam fidei petram, accquiescentes veræ confessionis literis á vestra paterna beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis: quas vt à summo Apostolorum vertice diuinitus perscriptas agnoscimus &c. Orthodoxæ autem fidei splendidã lucem vobiscũ claré prædicauimus quam etiã, vt per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternã *Sanctitatem*. ☜

Concilium generale septimum, quod dicitur Nicenum secundum, Act. 2. cúm episto-

la

la Adriani Papæ ad Tharasium Constantinop. Episcopum lecta est, hæc refert. *Petri* sedes per totum orbem terrarum, primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei, Caput existit. Vnde & ipse beatus Petrus Apostolus, Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed vbicunque Principatum obtinuit, & obtinet: cui etiam, & nostræ beatæ, & Apostolicæ sedi; quæ est omnium Ecclesiarum Dei Caput, velim vt beata vestra *Sanctitas &c.*

Tharasius Papæ Legatis respondens ait: *Cui* Christi lumen circumfulsit, quique nos per Euangelium generauit Paulus verè diuinus Apostolus, Romanis scribens, & studium sinceræ fidei eorum erga verum Deum nostrum exosculatus sic inquit. *Fides vestra* prædicatur in vniuerso Orbe hoc. hoc testimonium & nos insequi par est, temerariumque repugnare arbitramur. Quamobrem Adrianus veteris Romæ primas, & testatorum Principum *Successor &c.*

Cœtera Concilia omittimus, quia breuitatem in hac disputatione promisimus: & quia Ecclesia veterum Patrum, & Conciliorum vestigia omni tempore sectatur.

SANCTI ECCLESIÆ PATRES.

CYprianus de Vnit. Ecclesiæ, ait. ☞ *Qui* cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Ecclesia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe *confidit?* ☜ & lib. 1. epiſt. 3. *Nauigare audent ad Petri cathedram, & Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt?*

Origenes in caput 6. Epiſt. ad Rom. inquit. ☞ *Petro* cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſupra ipſum velut terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſsio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis *exigitur*. ☜

Gregorius Nanzianzenus Orat. de modo in diſputatione ſeruando. ☞ *Petrus* Apoſtolus cæteris Apoſtolis prælatus fuit: quod cæteri Apoſtoli tranquillo animo *tulerunt*. ☜

Baſilius Serm. de Iudicio. *Ille beatus, qui cæteris prælatus diſcipulis fuit, cui claues Regni cœleſtis commiſſæ &c.*

Hieron. lib. 1. contra Iouin. ☞ *Licet* ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur *occaſio*. ☜ Et epiſt. 57. ad Damaſum. ☞ *Beatitudini* tuæ, ideſt Cathedræ Petri

tri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. quicunque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus *est*. ☜

Ambrosius lib. 10. in Lucam in caput 24: ☞ *Puto* autem aliter cœlos aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli *sumpserimus &c.* ☜ & in psal. 43. *Denique* Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à diabolo *est &c.* ☜ & serm. 47. ☞ *Tanquam* bonus Pastor Petrus tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus *firmamentum*. ☜

Augustinus tom. 9. num. 85. ☞ *Quis* enim nescit Petrum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui *præferendum* &c. ☜ lib. de Pastoribus cap. 13. *Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.*

Chrisostomus homil. 3: super Acta tom. 3. de Petro coram Apostolis differente, ait. ☞ *Quàm* est feruidus! quám agnoscit creditum á Christo gregem! quàm in hoc choro Princeps *est*! ☜ & Homil. 87. in Ioan. ☞ *Tanquam* enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit &c. qui omnium Pastor fuit á Domino *constitutus*. & ☞ *Quid* tandem

aliijs

alijs omissis de his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & Princeps, & vertex ipsius cœtus; propterea. & Paulus eum præter alios visurum *ascendit.*

Gregorius hom. 21. inter 40. *Qua* in re considerandum est; cur omnipotens Deus, eum quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat ancillæ vocem *pertimescere* &c. & paulo prius. *Cunctis* Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa *est.*

Theophilactus in caput. 22. Lucæ, super illud *confirma* Fratrestuos ait. *Plenus* huius intellectus is est: quia te habeo vt Principem discipulorum, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros, hoc enim decet te, qui post me Ecelesię petra es, & *fundamentum:*

Cęterorum Patrũ Testimonium pro breuiloquentia in disputatione hac omittimus.

CONSVETVDO.

QVæ est vera legum interpres: verum ac legitimum Euangelij sensum, quoad

Petri

Petri ſupremam in Eccleſia poteſtatem, tradit, & exhibet. Etenim omnia Generalia Concilia, ex Patribus diuerſarum Nationum ſimul congregatis, tam in Aſiæ quàm in Europæ Vrbibus, antiquis temporibus ſic ſentientibus, conſuetudinis ius afferunt, quod ex actuum frequentia oritur, ſecundùm Iuriſperitos: etſi conſuetudo huiuſcemodi, executio, & non inſtitutio legis fuerit. ſenſum tamen diuinæ legis dicimus conſpicuum tradere. Quo ſenſu Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in cauſa Neſtorij Conſtantinop. Epiſcopi hæreſes ſuperſeminantis, Cęleſtino Romano Pontifici, vt ſua poteſtate aptum afferret remedium, ſcripſit: vt ante Acta Conc. Epheſini legitur.

Quoniam veró Deus hiſce in rebus prudentiam á nobis exigit: Longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtiuſcemodi ſanctitati Tuę communicentur: non poſſum æquidem quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere sanè hactenus altum tacui. Neque enim quicquam omnino de illo, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam hoc tempore adminiſtrat, vel ad Religionem tuam, vel ad vllum alium conſacerdotum noſtro-

rum

rum ſcripſi, non ignorans pręcipitem celeritatem in eiuſmodi rebus, cum vitio plerunque coniunctam eſſe ſolere. At quia nunc ad extremum propemodum malorum deueniſſe videmur, operę pretium exiſtimaui, rupto ſilentio, ordine omnia quæ acciderunt exponere. Is igitur &c. At quamuis res ita ſe habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deſerere auſi ſuimus, quàm hęc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic ſentias declarare; quo liquidò nobis conſtet communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare; neminem cum eo communicare, quia eiuſmodi erroneam doctrinam fouet, & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, non modo pijſsimis, Deoque deuotiſsimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi *debet &c.*

Cyrillus hic, Vir doctrina, ſanctitate, & poteſtate conſpicuus, anno Domini 430. iuueneſcente adhuc, vt ita dicam, Eccleſia, ſolemniter teſtatur longam Eccleſiarum conſuetudinem eum monuiſſe, Romanum Pontificem Iudicem controuerſiarum fidei, eſſe

in

in Eccleſia: & Patriarchas inſtruere teneri, & omnes ſimul Orientis Epiſcopos in rebus Eccleſiaſticis agendis dirigere, & quid in tanta Eccleſiæ orientalis commotione in re tam ſeria operandum ſit, ſancire & præcipere. Si ergo ab initio Eccleſiæ longa conſuetudo ſupremum Principatum Petri, & Romani Pontificis demonſtrauit: proculdubio hæc eadem conſuetudo complurium adhuc ſæculorum vehiculo protracta: quæ in ſequentibus Concilijs, & in cæteris Eccleſiæ ſolemnibus Actis re fulſit, euidentius patefecit.

RATIO.

PEtri Primatus à Chriſto Domino neceſſariò ſtatuendus fuit: vt ſapiens experiretur Architectus Eccleſiaſtici ædificij. Enimverò Domus expers fundamenti, ruit. Et exercitus ſinè Duce, turba eſt. Sic Eccleſia ſine viſibili Rectore, velut Turris Babel eſſet, in qua confuſum eſt labium vniuerſæ Terræ: *Vbi enim Gubernator non eſt, populus corruet*, Prou. 11. Sic corruerunt qui à Petri ouili abierunt: varia deliramenta machinantes, inſanas opiniones ſibi cōtradicentes amplexi

plures ac diuersas Sectas, seipsas destruentes, instituerunt: quæ velut ex foetida fraudum colluuie ortæ, cuncta confundunt.

Et quod horrendum & abominabile est, Ecclesiam Dei, quam *Regnum* Daniel enunciat cap: 2. cui Rex vnus imperat. *Exercitum Ordinatum*, Salomon cant. 6. cui Dux ac Imperator vnus præest. *Ouile*, Ioan. 10. cui Pastor vnus supremus præsidet. *Domum*; Paulus 1. Tim. 3. quæ vni Patrifamilias subijcitur. *Nauim*, Petrus epist. 1. cap. 3. quæ ab vno dirigitur Gubernatore: multitudinem Gentium esse, eructare non verentur, quæ carere debet Duce ac supremo Pastore: vt vnicuique ad libitum quid sibi placet, credere liceat; & ex multiplici Sacrarum Scripturarum intelligentia ac interpretatione, plures valeant construere Sectas. vt Satanæ, qui in seipsum diuisus est, vt monet Saluator Lucæ ij. constet impios esse sequaces. Dicendum ergo est, Christum Dominum, vniuersæ Ecclesiæ suæ supremum regimen Petro, & hæredi suo Romano Pontifici, vsque ad consummationem sæculi dedisse.

Hunc autem Romanum Episcopum, Petri supremæ potestatis hæredem, patres ac

Doctores

Doctores, & vniuerſa Eccleſia catholica, ſ multifariam denominare voluerunt, vt munus eiuſdem integré depromerent. primùm, Pontifex ſummus dictus eſt, quia Saluatoris pręſentiam ſupplet, qui ab Apoſtolo ad Heb. ſæpius Pontifex enunçiatur. Chriſti Vicarius, quia *illius*, in militante Eccleſia vices exequitur. Vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopus: quia fideles omnes, oues illius ſunt. nam indefinitè Petro dixit Saluator; *Paſce agnos, et oues meas*. Papa: quia Patris, qui intima dilectione filios proſequitur, conditionem habet. Pater Patrum, & Patriarcharum Patriarcha: quia omnes Eccleſiæ præſules, illi tanquam ſupremo Paſtori totius Chriſti ouilis ſubduntur, & eius directioni ſubiacent.

Sed ò mentem infirmam ac miſerandam filiorum Adam! Si redemptionis noſtræ diuino beneficio peracto, Saluator in Cœlum aſcendiſſet, nemine hic in Terris conſtituto, qui vices ſuppleret ſuas, & Eccleſię lites dirimeret, controuerſias decideret; qui docendo fallere, Diuino ſibi aſsiſtente præſidio, non valeret: quid homines muſſitando eructarent? eum improuidum, & inſipientem Eccleſiaſtici ædificij architectum, qui ouium

suarum salutem ac tranquillitatem negligeret insimularent, arguerent, blasphemarent, & cum Eliphaz Themanite Iob. 22. conquærerentur, dicentes. ☞ *Quid* enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec nostra *considerat*. ☜ Verùm quia Pastorem Ecclesiæ suæ dedit, qui prænarrata, & ampliora Ecclesiæ beneficia præstat; homo inanis & insipiens, nempe hæreticus, qui huiusmodi Pastorem magnopere venerari debuerat: furem, Antichristum, tyrannum, desertorem esse, impudenter ac impudicè denunciat. Et qui velut Turba Saluatoris sequax, Dei pietatem ac prouidentiam collaudare debuerat, illis verbis: ☞ *Benedictus* Deus qui dedit potestatem talem *hominibus*; ☜ Matth. 9. pro benedictionibus; blasphemias, & contumelias porrigit. Sed hæc inuidia Diaboli est, & hæreticorum dementia. Det misericors Dominus intelligentiam.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SECVNDA.

An Apostoli æqualem à Domino receperint Potestatem.

In hac disput. Auctor disceptare incipit aduersus Philadelph. Metropolitam.

APOSTOLATVS nomenclatura á Græco descendens idiomate, missionem, & legationem significat, quo sensu ad rem nostram, Io. 13. legitur *Neque Apostolus maior est eo qui misit illum*. & 2. Cor. 5. *Legatione fungimur pro Christo* Hæc autem nobili ac illustri commissioni à priscis ascripta fuit, nam Athenis olim Apostoli, magistratus quidam erant, quorum munus ad rectè curandam, ac instruendam classem ferebatur, & Paulus ad Heb. 3. Christo Domino Apostoli nomen attribuit dicens. ☞ *Considerate* Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ *Iesum* ☜. & a Rom. 11. ☞ *Quamdiu* sum Gentium Apostolus, ministerium meum *honorificabo* ☜ Quod ex multis muneribus quæ Apostoli exeque-

bantur



tique Papæ nostri recitatis, sanctos cantus, sanctis vestris vocibus, sancto vestro Capiti exhibueritis: non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei, & etiam Apostolorum Caput esse beatum Apostolum *Petrum.*

Concilium generale quartum quod est Chalcedonense Act, 1. hæc ennarrat. ☞ *Paschasinus* Legatus Leonis Papæ sic fari cæpit. Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ vrbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus censuit interloquendum, vt præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. hoc nos obseruare necesse est. Senatus dixit: Quid obijcitur Dioscoro? respondit Legatus. Quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere, sinè auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquã licuit, nunquã *factum est.*☜ Act. 2. Patres dixerunt. *Petrus per Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt. hæc vera fides, hæc Patrum fides.*

Act. 3. idem Pascasinus Legatus ait. *Notum* est sanctæ Synodo, Beatissimum Leonem nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se

Presi-

Prȩſidere præcepiſſe &c. Et ſententiam damnationis Dioſcori proferens, inquit. *Sanctiſſimus*, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & Senioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem ſanctam ſynodum, vna cum ter beatiſſimo, & omni *laude* digno Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Epiſcopatus *dignitate* &c. Et Subſcribens ait. *Paſchaſinus* Epiſcopus Eccleſiæ Lilibetanæ Prouinciæ Siciliæ vice Beatiſsimi atq; Apoſtolici vniuerſalis Eccleſię Papæ Vrbis Romæ Leonis, sãctæ ſynodo Prȩſidẽs, in Dioſcori dãnatione, conſenſu vniuerſalis Concilij *ſubſcripſi.*

Et in epiſt. eiuſdem ſynodi ad Leonem Papam ſic habetur. Tu quidem nobis, ſicut mẽbris Caput præeras, in his qui tuas vices gerebant, beneuolentiã præferens. &c. *Et poſt hæc* omnia inſuper & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia á Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt contra tuam Apoſtolicam ſanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te qui Corpus Eccleſiæ vnire feſtinas &c. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium: & ſicut nos Capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic et ſummitas tua,

Filijs, quod decet, adimpleat, &c.

Concilium generale sextum, quod dicitur Constantin. tertium, Act. 8. hæc refert ☞ *Suggestiones* directas á Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ ad á Deo coronatum, & mansuetissimum nostrum dominum Imperatorem, tanquam ex Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri prædico, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & *amplector &c.* ☜

Et in synodali epistola totius Concilij sic legitur. ☞ *Itaque* tibi, vt primæ sedis Atistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus, stanti super firmam fidei petram, accquiescentes veræ confessionis literis á vestra paterna beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis: quas vt à summo Apostolorum vertice diuinitus perscriptas agnoscimus &c. Orthodoxæ autem fidei splendidã lucem vobiscũ claré prædicauimus quam etiã, vt per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternã *Sanctitatem*. ☜

Concilium generale septimum, quod dicitur Nicænum secundum, Act. 2. cúm episto-

la

la Adriani Papæ ad Tharaſium Conſtanti-
nop. Epiſcopum lecta eſt, hæc refert. ☞ *Pe-
tri* ſedes per totum orbem terrarum, prima-
tum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum
Dei, Caput exiſtit. Vnde & ipſe beatus Petrus
Apoſtolus, Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, ni-
hil omnino prætermiſit, ſed vbicunque Prin-
cipatum obtinuit, & obtinet: cui etiam, &
n oſtræ beatæ, & Apoſtolicæ ſedi; quæ eſt
omnium Eccleſiarum Dei Caput, velim vt
beata veſtra *Sanctitas &c.* ☜

Tharaſius Papæ Legatis reſpondens ait.
☞ *Cui* Chriſti lumen circumfulſit, quique
nos per Euangelium generauit Paulus verè di-
uinus Apoſtolus, Romanis ſcribens, & ſtu-
dium ſinceræ fidei eorum erga verum Deum
noſtrum exoſculatus ſic inquit. *Fides veſtra*
prædicatur in vniuerſo Orbe hoc. hoc teſti-
monium & nos inſequi par eſt, temerarium
que repugnare arbitramur. Quamobrem
Adrianus veteris Romæ primas, & teſtato-
rum Principum *Succeſſor &c.* ☜

Cœtera Concilia omittimus, quia breuita-
tem in hac diſputatione promiſimus: & quia
Eccleſia veterum Patrum, & Conciliorum
veſtigia omni tempore ſectatur.

SANCTI ECCLESIÆ PATRES.

CYprianus de Vnit. Ecclesiæ, ait. ☞ *Qui* cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse *confidit?* ☜ & lib. 1. epist. 3. *Nauigare audent ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est?*

Origenes in caput 6. Epist. ad Rom. inquit. ☞ *Petro* cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & supra ipsum velut terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis *exigitur*. ☜

Gregorius Nanzianzenus Orat. de modo in disputatione seruando. ☞ *Petrus* Apostolus cæteris Apostolis prælatus fuit: quod cæteri Apostoli tranquillo animo *tulerunt*. ☜

Basilius Serm. de Iudicio. *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues Regni cœlestis commissæ &c.*

Hieron. lib. 1. contra Iouin. ☞ *Licet* super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur *occasio*. ☜ Et epist. 57. ad Damasum. ☞ *Beatitudini* tuæ, idest Cathedræ Pe-

tri

tri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. quicunque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus *est*.

Ambrosius lib. 10. in Lucam in caput 24: *Puto* autem aliter cœlos aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli *sumpserimus &c.* & in psal. 43. *Denique* Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à diabolo *est &c.* & serm. 47. *Tanquam* bonus Pastor Petrus tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus *firmamentum*.

Augustinus tom. 9. num. 85. *Quis* enim nescit Petrum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui *præferendum* &c. lib. de Pastoribus cap. 13. *Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.*

Chrisostomus homil. 3: super Acta tom. 3. de Petro coram Apostolis disserente, ait. Quàm est feruidus! quàm agnoscit creditum á Christo gregem! quàm in hoc choro Princeps *est*! & Homil. 87 in Ioan. *Tanquam* enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit &c. qui omnium Pastor fuit á Domino *constitutus*. & *Quid* tandem

alijs

Petri ſupremam in Eccleſia poteſtatem, tradit, & exhibet. Etenim omnia Generalia Concilia, ex Patribus diuerſarum Nationum ſimul congregatis, tam in Aſiæ quàm in Europæ Vrbibus, antiquis temporibus ſic ſentientibus, conſuetudinis ius afferunt, quod ex actuum frequentia oritur, ſecundùm Iuriſperitos: etſi conſuetudo huiuſcemodi, executio, & non inſtitutio legis fuerit. ſenſum tamen diuinæ legis dicimus conſpicuum tradere. Quo ſenſu Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in cauſa Neſtorij Conſtantinop. Epiſcopi hæreſes ſuperſeminantis, Cęleſtino Romano Pontifici, vt ſua poteſtate aptum afferret remedium, ſcripſit: vt ante Acta Conc. Epheſini legitur.

Quoniam veró Deus hiſce in rebus prudentiam á nobis exigit: Longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtiuſcemodi ſanctitati Tuę communicentur: non poſſum æquidem quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere sanè hactenus altum tacui. Neque enim quicquam omnino de illo, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam hoc tempore adminiſtrat, vel ad Religionem tuam, vel ad vllum alium conſacerdotum noſtrorum

rum scripsi, non ignorans pręcipitem celeritatem in eiusmodi rebus, cum vitio plerunque coniunctam esse solere. At quia nunc ad extremum propemodum malorum deuenisse videmur, operę pretium existimaui, rupto silentio, ordine omnia quæ acciderunt exponere. Is igitur &c. At quamuis res ita se habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deserere ausi fuimus, quám hęc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias declarare; quo liquidò nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, quia eiusmodi erroneam doctrinam fouet, & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, non modo pijssimis, Deoque deuotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicué per literas exponi *debet &c.* ☞

Cyrillus hic, Vir doctrina, sanctitate, & potestate conspicuus, anno Domini 430. iuuenescente adhuc, vt ita dicam, Ecclesia, solemniter testatur longam Ecclesiarum consuetudinem eum monuisse, Romanum Pontificem Iudicem controuersiarum fidei, esse

in

in Eccleſia: & Patriarchas inſtruere teneri, & omnes ſimul Orientis Epiſcopos in rebus Eccleſiaſticis agendis dirigere, & quid in tanta Eccleſiæ orientalis commotione in re tam ſeria operandum ſit, ſancire & præcipere. Si ergo ab initio Eccleſiæ longa conſuetudo ſupremum Principatum Petri, & Romani Pontificis demonſtrauit: proculdubio hæc eadem conſuetudo complurium adhuc ſæculorum vehiculo protracta: quæ in ſequentibus Concilijs, & in cæteris Eccleſiæ ſolemnibus Actis re fulſit, euidentius pateſecit.

RATIO.

PEtri Primatus à Christo Domino neceſſariò ſtatuendus fuit: vt ſapiens experiretur Architectus Eccleſiaſtici ædificij. Enim verò Domus expers fundamenti, ruit. Et exercitus ſinè Duce, turba eſt. Sic Eccleſia ſine viſibili Rectore, velut Turris Babel eſſet, in qua confuſum eſt labium vniuerſæ Terræ: *Vbi enim Gubernator non eſt, populus corruet.* Prou. 11. Sic corruerunt qui à Petri ouili abierunt: varia deliramenta machinantes, inſanas opinationes ſibi cõtradicentes amplexi

plures ac diuersas Sectas, seipsas destruentes, instituerunt: quæ velut ex foetida fraudum colluuie ortæ, cuncta confundunt.

Et quod horrendum & abominabile est, Ecclesiam Dei, quam *Regnum* Daniel enunciat cap: 2. cui Rex vnus imperat. *Exercitum Ordinatum*, Salomon cant. 6. cui Dux ac Imperator vnus præest. *Ouile*, Ioan. 10. cui Pastor vnus supremus præsidet. *Domum*; Paulus 1. Tim. 3. quæ vni Patrifamilias subijcitur. *Nauim*, Petrus epist. 1. cap. 3. quæ ab vno dirigitur Gubernatore: multitudinem Gentium esse, eructare non verentur, quæ carere debet Duce ac supremo Pastore: vt vnicuique ad libitum quid sibi placet, credere liceat; & ex multiplici Sacrarum Scripturarum intelligentia ac interpretatione, plures valeant construere Sectas. vt Satanæ, qui in seipsum diuisus est, vt monet Saluator Lucæ ij. constet impios esse sequaces. Dicendum ergo est, Christum Dominum, vniuersæ Ecclesiæ suæ supremum regimen Petro, & hæredi suo Romano Pontifici, vsque ad consummationem sæculi dedisse.

Hunc autem Romanum Episcopum, Petri supremæ potestatis hæredem, patres ac

Doctores

Doctores, & vniuersa Ecclesia catholica multifariam denominare voluerunt, vt munus eiusdem integré depromerent. primùm Pontifex summus dictus est, quia Saluatoris præsentiam supplet, qui ab Apostolo ad Heb. sæpius Pontifex enunciatur. Christi Vicarius, quia *illius*, in militante Ecclesia vices exequitur. Vniuersæ Ecclesiæ Episcopus: quia fideles omnes, oues illius sunt. nam indefinitè Petro dixit Saluator; *Pasce agnos, et oues meas*. Papa: quia Patris, qui intima dilectione filios prosequitur, conditionem habet. Pater Patrum, & Patriarcharum Patriarcha: quia omnes Ecclesiæ præsules, illi tanquam supremo Pastori totius Christi ouilis subduntur, & eius directioni subiacent.

Sed ò mentem infirmam ac miserandam filiorum Adam! Si redemptionis nostræ diuino beneficio peracto, Saluator in Cœlum ascendisset, nemine hic in Terris constituto, qui vices suppleret suas, & Ecclesiæ lites dirimeret, controuersias decideret; qui docendo fallere, Diuino sibi assistente præsidio, non valeret: quid homines mussitando eructarent? eum improuidum, & insipientem Ecclesiastici ædificij architectum, qui ouium

suarum salutem ac tranquillitatem negligeret in simularent, arguerent, blasphemarent, & cum Eliphaz Themanite Iob. 22. conquærerentur, dicentes. *Quid* enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec nostra *considerat*. Verùm quia Pastorem Ecclesiæ suæ dedit, qui prænarrata, & ampliora Ecclesiæ beneficia præstat; homo inanis & insipiens, nempe hæreticus, qui huiusmodi Pastorem magnopere venerari debuerat: furem, Antichristum, tyrannum, desertorem esse, impudenter ac impudicè denunciat. Et qui velut Turba Saluatoris sequax, Dei pietatem ac prouidentiam collaudare debuerat, illis verbis: *Benedictus* Deus qui dedit potestatem talem *hominibus*; Matth. 9. pro benedictionibus; blasphemias, & contumelias porrigit. Sed hæc inuidia Diaboli est, & hæreticorum dementia. Det misericors Dominus intelligentiam.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SECVNDA.

An Apostoli æqualem à Domino receperint Potestatem.

In hac disput. Auctor disceptare incipit aduersus Philadelph. Metropolitam.

POSTOLATVS nomenclatura á Græco descendens idiomate, missionem, & legationem significat, quo sensu ad rem nostram Io. 13. legitur *Neque Apostolus maior est eo qui misit illum*. & 2. Cor. 5. *Legatione fungimur pro Christo* Hæc autem nobili ac illustri commissioni à priscis ascripta fuit, nam Athenis olim Apostoli, magistratus quidam erant, quorum munus ad rectè curandam ac instruendam classem ferebatur. & Paulus ad Heb. 3. Christo Domino Apostoli nomen attribuit dicens. ☞ *Considerate* Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ *Iesum* ☜. & a Rom. 11. ☞ *Quamdiu* sum Gentium Apostolus, ministerium meum *honorificabo* ☜ Quod ex multis muneribus quæ Apostoli exequebantut

bantur redditur euidentius. Magistri etenim fuerunt cōstituti á Christo Domino *euntes ergo docete omnes Gentes*. Matth. vlt. vt Orbem terrarum sacra Euangelij doctrina illuminarent, cuius veritatem signis, prodigijs & portentis ostenderent. dicente Apostolo ad Heb. 2. ☞ *Contestante* Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundúm suam *voluntatem*. Principes fuerunt in Ecclesia; prout in scripturis sanctis pronunciatum fuit, psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem Terram*. & opere exequutioni mandarunt. nam potestatem excercebant. 1. Cor. 4 ☞ *Quid* vultis in virga veniam ad vos, vel in charitate, & spiritu *mansuetudinis*? ☜ & 2. Cor: 10. ☞ *Et* in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia &c. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non *erubescam etc.* ☜ Episcopos ordinabant, & Ecclesijs præficiebant. ad Tit: 1. ☞ *Huius* rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per Ciuitates præsbiteros, sicut &

ego

ego dispofui *tibi*. Legislatores erant: Act. 15. *Paulus* veró electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei á Fratribus. Perambulabat autem Siriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & *Seniorum*. Episcopi qui vbique terrarum omnibus fidelibus præsidebant, nam Petrus Act. 1. cúm Matthiam loco Iudæ Apostolum elegit, inquit. *Scriptum* est enim in libro psalmorum. Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum eius accipiat *alter*. Iudices controuersiarum de Religione qui errare non poterant, Act. 15. *Visum* est enim Spiritui Sancto & Nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis *etc*. & sacrarum scripturarúm noui Testamenti Auctores, vt reipsa patet: Sacerdotes á Christo Domino ordinati in vltima Cæna. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Ioan. 20. *Accipite* Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta *sunt*. Sapientia ac cœlesti doctrina imbuti in die pentecostes Act. 2. adeout prædicantibus Apostolis; Angeli cælorum mysteria diuina

uina addiſcerent, vt monet Paulus ad Eph. 3. In Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi á ſæculis in Deo, qui omnia creauit: vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis Sapientia *Dei*. Apoſtolatus itaque vox, legationem, ſed in re noſtra nimis nobilem ac illuſtrem, magna ſimul cum poteſtate, ſignificat.

Dignitas hæc Apoſtolatus cum his quę ſuperius pręnarrata ſunt, ęqué omnibus qui à Saluatore Apoſtoli ſanciti fuerunt, inſuit: omnes enim iure Apoſtolatus ea munera, vt ſibi neceſſaria pro Chriſtiana Religione diſſeminanda obtinuerunt: hoc tantùm adiuncto diſcrimine, quod Petrus hanc toti orbi præſidendi poteſtatem, vt illi ordinariè collatam habebat; cœteri autem Apoſtoli vt delegatam obtinuerant. quamobrem præſatum præſidendi ius, ex hac vita abeuntibus Apoſtolis, terminum accepit, nec hæredes habuit: Petrus autem ſucceſſores ſibi vſque ad conſummationem ſæculi Romanos Pontifices reliquit. & hoc eſt ius illud quod Saluator ſoli Petro pollicitus fuit Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas.*

phas. Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum.* Et deinde actu exhibuit, Ioan. vltim. *diligis me plus his? Pasce agnos & oues meas.*

Hæretici, qui hanc potestatis distinctionẽ admittere spernunt, confusioni subiacent: & cùm Petro soli potestatem ordinariam & absolutam tradidit, ea verba confundunt, & ad ineptum sensum trahunt; pro Petra fidem, vel Ecclesiam, vel fideles fidem confitentes inaniter, & scurriliter interpraetantur. velut si fides, vel fidei confessio sit Ionæ Simonis Petri parentis filia, & á Iona cum vxore sua genita fuerit. hæ sunt ineptiæ, in quas fidei desertores prorumpere coguntur.

Ad aperiendam autem huius distinctionis veritatem, scilicet de duplici potestate, ordinaria, & delegata, aduertendum est, potestatem ordinariam sic nominari, quia sic est ordine disposita, & ordinarium officium dicitur, vbi præficitur aliquis certæ functioni. delegatam autem dici à legando, quod propriè in legationem mittere significat. at qui legatus mittitur, non munus perpetuum obtinet, sed ad tempus. nec nomine proprio operatur, sed per commissam sibi potestatem. cum ergo Petrus vniuersæ Ecclesiæ Princeps, Pastor, & Re-

ctor á Domino constitutus fuerit, potestas hæc est illi propria ac ordinaria: ideo successores, & hæredes habet. & quia Apostoli qui sub voce Ouis continentur, Ioann. vlt: Petri subijciuntur potestati, munus illis à Saluatore impositum dicitur delegatum, & commissum, quia Ecclesiæ Principatum absolutum non gerebant.

Hanc catholicam doctrinam firmissimam esse, non solùm Scripturæ sacræ denunciant, sed & consuetudo, quæ est vera legum interpres. Ab initio Ecclesiæ, vt ita dicam, nonne vidimus omnes particulares Episcopos particularibus Vrbibus præpositos fuisse, ipsos autem metropolitanis fuisse subiectos, metropolitanos Patriarchis: Patriarchas autem Romano Pontifici? nonne hoc manifestum est ab initio? & dum Ecclesiam Ethnici adhuc persequebantur Principes, Stephanus Romanus Pontifex cassauit, & pro cassato habitum est Concilium Africanum sub Cypriano collectum anno Dom. 258. Hic enim spectabilis Ecclesiasticus ordo conspicué cernitur etiam in Concilio Nicæno primo, & Sardicensi, & cæteris sequentibus Synodis. igitur ab initio intellexit Catholica Christi ecclesia, potesta-

tem

tēm illam generalem, quam ſuper eccleſiam habuerunt Apoſtoli, cum in hæredes non fuerit transfuſa, delegatam fuiſſe, non autem ordinariam, & abſolutam. ſola itaque æqualitas delegatæ poteſtatis inter Apoſtolos fuit: ordinariam autem in regimine Eccleſiæ nullam habuerunt, quæ ſoli Petro adſuit:

Nec de ōnimoda paritate inter Apoſtolos diſquirimus, cūad rē nō faciat. ſcimus enim Apoſtolos ætate, ſapientia, laboribus, externa exiſtimatione inęquales fuiſſe. Paulus enim inquit 2. Cor. 11. *Miniſtri Chriſti ſunt, vt minus ſapiens dico, plus ego; in laboribus plurimis &c.* fuitque cęteris ſapientior, vt diſputatione precedenti dictum eſt. Andreas Petro fuit ętate prouectior, vt ſcribit Ephiphanius hęreſi 51. & Baron. Tom. 1. anno 31. nu. 23. Ioannes fuit magis dilectus. Et inter omnes honoratiores habiti ſunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, quia Chriſti transfigurationi adfuerunt, & cū in horto Patrem oraret, iam proximè Crucifixurus, hi tres ab eo vocati fuerunt. Verúm hoc extra propoſitam quæſtionem vagatur: nec Petri abſolutæ, & ordinariæ poteſtati officit, nec ęqualitati delegatę poteſtatis cæterorū Apoſtolorum obeſt.

Considerandum tamen est in Apostolis fuisse aliquam potestatem ordinariam, quatenus fuerunt Episcopi. Episcopatus enim ordo est, vt tom. 1. probauimus: Apostoli autem fuerunt proculdubio episcopi, vt Petrus Act. 1. de electione Matthiæ differens, edocuit. at hęc potestas ordinaria Episcopatus, quam nunc Apostolos habuisse fatemur, non opponitur his, quæ prius asseruimus: scilicet Apostolorum potestatem delegatam fuisse. nam tunc de potestate, quam in regimine Ecclesiæ Vniuersæ Apostoli habuerunt loquuti fuimus, non autem de potestate ordinis episcopalis, qui vnam conspicit Diœcesim, & potestatem præsbiteros ordinandi, chrisma conficiendi, & conferendi, Basilicas consecrandi &c. quæ ordinis sunt episcopalis. nam quod hanc potestatem haberent Apostoli ordinariam concedimus: Sed illam super vniuersam Ecclesiam exequi posse, munus delegatum, non ordinarium illis fuit. Enimuerò si hanc quam concedimus delegatam potestatem Apostolis super vniuersam Ecclesiam, vt ordinariam habuissent à Saluatore; seipsum destrueret, & sibimet contradiceret Christus Dominus, quod nefas est enunciare. dum soli Petro illam tribuisse

iſſe docuit.& Eccleſia ab initio omnes Epiſcopos æquales, & nunquam Romano Epiſco po ſubiectos ac ſubordinatos æſtimaſſet, & tam en oppoſitum euidenter conſtat. itaque ſola Sacerdotalis, & Epiſcopalis poteſtas Apoſtolis vt ordinaria concedenda erit: omnis autem alterius generis poteſtas, & ipſius Epiſcopalis ordinis exercitium indiſcriminatim ſuper vniuerſam Eccleſiam, delegatum fuit.

Quando autem Apoſtoli ordinati fuerint Epiſcopi, & quo tempore delegatam regiminis poteſtatem acceperint, dicendum eſt. etenim cum Matth. 18. Apoſtolis Saluator dixit. *Amen dico vobis quæcumque ligaueritis ſuper Terram &c.* promiſſa tantùm eo tempore mihi fuiſſe videtur poteſtas hæc, quam poſtea tenuerunt Apoſtoli. ſicut promiſsio, & deſignatio fuit poteſtatis Petro à Domino poſt ſuam reſurrectionem tradendæ, cum Matt: 16. Petro dixit. *Tibi dabo claues regni cælorum: quodcunque ligaueris ſuper terram &c.* ergo dicendum eſt, & Petro, & cæteris Apoſtolis promiſſam poteſtatem tribuiſſe poſt reſurrectionem: poteſtate preſbiteratus excepta, quę pridie quám pateretur in Cæna illis tradita á Saluatore fuit: eo quod illa fuerit vltima cæna:

&

SANCTI ECCLESIÆ PATRES.

CYprianus de Vnit. Ecclesiæ, ait. *Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* & lib. 1. epist. 3. *Nauigare audent ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est?*

Origenes in caput 6. Epist. ad Rom. inquit. *Petro* cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & supra ipsum velut terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis *exigitur*.

Gregorius Nanzianzenus Orat. de modo in disputatione seruando. *Petrus* Apostolus cæteris Apostolis prælatus fuit: quod cæteri Apostoli tranquillo animo *tulerunt*.

Basilius Serm. de Iudicio. *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues Regni cœlestis commissæ &c.*

Hieron. lib. 1. contra Iouin. *Licet* super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur *occasio*. Et epist. 57. ad Damasum. *Beatitudini* tuæ, idest Cathedræ Pe-

tri

tri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. quicunque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus *eſt*. ☜

Ambroſius lib. 10. in Lucam in caput 24: ☞ *Puto* autem aliter cœlos aperiri non poſſe, niſi claues Petri Apoſtoli *ſumpſerimus &c.* ☜ & in pſal. 43. *Denique* Petrus Eccleſiæ præponitur, poſtquam tentatus à diabolo *eſt &c.* ☜ & ſerm. 47. ☞ *Tanquam* bonus Paſtor Petrus tuendum gregem accepit, vt qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus *firmamentum*. ☜

Auguſtinus tom. 9. num. 85. ☞ *Quis* enim neſcit Petrum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui *præferendum* &c. ☜ lib. de Paſtoribus cap. 13. *Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas*.

Chriſoſtomus homil. 3: ſuper Acta tom. 3. de Petro coram Apoſtolis differente, ait. ☞ *Quàm* eſt feruidus! quàm agnoſcit creditum á Chriſto gregem! quàm in hoc choro Princeps *eſt*! ☜ & Homil. 87. in Ioan. ☞ *Tanquam* enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit &c. qui omnium Paſtor fuit á Domino *conſtitutus*. & ☞ *Quid* tandem

alijs

Petri ſupremam in Eccleſia poteſtatem, tradit, & exhibet. Etenim omnia Generalia Concilia, ex Patribus diuerſarum Nationum ſimul congregatis; tam in Aſiæ quàm in Europæ Vrbibus, antiquis temporibus ſic ſentientibus, conſuetudinis ius afferunt, quod ex actuum frequentia oritur, ſecundùm Iuriſperitos: etſi conſuetudo huiuſcemodi, executio, & non inſtitutio legis fuerit. ſenſum tamen diuinæ legis dicimus conſpicuum tradere. Quo ſenſu Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in cauſa Neſtorij Conſtantinop. Epiſcopi hæreſes ſuperſeminantis, Cęleſtino Romano Pontifici, vt ſua poteſtate aptum afferret remedium, ſcripſit: vt ante Acta Conc. Epheſini legitur.

Quoniam veró Deus hiſce in rebus prudentiam á nobis exigit: Longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtiuſcemodi ſanctitati Tuę communicentur: non poſſum æquidem quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere sanè hactenus altum tacui. Neque enim quicquam omnino de illo, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam hoc tempore adminiſtrat, vel ad Religionem tuam, vel ad vllum alium conſacerdotum noſtro-

rum

Ecclesia: & Patriarchas instruere teneri, & mnes simul Orientis Episcopos in rebus Ecclesiasticis agendis dirigere, & quid in tanta cclesiæ orientalis commotione in re tam sea operandum sit, sancire & præcipere. Si go ab initio Ecclesiæ longa consuetudo suemum Principatum Petri, & Romani Ponficis demonstrauit: proculdubio hæc eadem onsuetudo complurium adhuc sæculorum ehiculo protracta: quæ in sequentibus Conilijs, & in cæteris Ecclesiæ solemnibus Actis sulsit, euidentius patefecit.

RATIO.

PEtri Primatus à Christo Domino necessariò statuendus fuit: vt sapiens experietur Architectus Ecclesiastici ædificij. Enim erò Domus expers fundamenti, ruit. Et exertus sine Duce, turba est. Sic Ecclesia sine isibili Rectore, velut Turris Babel esset, in ua confusum est labium vniuersæ Terræ: *bi enim Gubernator non est, populus corruet.* ou. 11. Sic corruerunt qui à Petri ouili abiunt: varia deliramenta machinantes, innas opinationes sibi cōtradicentes amplexi

plures ac diuersas Sectas, seipsas destruentes, instituerunt: quæ velut ex foetida fraudum colluuie ortæ, cuncta confundunt.

Et quod horrendum & abominabile est, Ecclesiam Dei, quam *Regnum* Daniel enunciat cap: 2. cui Rex vnus imperat. *Exercitum Ordinatum*, Salomon cant. 6. cui Dux ac Imperator vnus præest. *Ouile*, Ioan. 10. cui Pastor vnus supremus præsidet. *Domum*, Paulus 1. Tim. 3. quæ vni Patrifamilias subijcitur. *Nauim*, Petrus epist. 1. cap. 3. quæ ab vno dirigitur Gubernatore: multitudinem Gentium esse, eructare non verentur, quæ carere debet Duce ac supremo Pastore: vt vnicuique ad libitum quid sibi placet, credere liceat: & ex multiplici Sacrarum Scripturarum intelligentia ac interpretatione, plures valeant construere Sectas. vt Satanæ, qui in seipsum diuisus est, vt monet Saluator Lucæ ij. constet impios esse sequaces. Dicendum ergo est, Christum Dominum, vniuersæ Ecclesiæ suæ supremum regimen Petro, & hæredi suo Romano Pontifici, vsque ad consummationem sæculi dedisse.

Hunc autem Romanum Episcopum, Petri supremæ potestatis hæredem, patres ac

Doctores

Doctores, & vniuersa Ecclesia catholica multifariam denominare voluerunt, vt munus eiusdem integré depromerent. primùm Pontifex summus dictus est, quia Saluatoris presentiam supplet, qui ab Apostolo ad Heb. sæpius Pontifex enunciatur. Christi Vicarius, quia illius, in militante Ecclesia vices exequitur. Vniuersæ Ecclesiæ Episcopus: quia fideles omnes, oues illius sunt. nam indefinitè Petro dixit Saluator; *Pasce agnos, et oues meas*. Papa: quia Patris, qui intima dilectione filios prosequitur, conditionem habet. Pater Patrum, & Patriarcharum Patriarcha: quia omnes Ecclesiæ præsules, illi tanquam supremo Pastori totius Christi ouilis subduntur, & eius directioni subiacent.

Sed ò mentem infirmam ac miserandam filiorum Adam! Si redemptionis nostræ diuino beneficio peracto, Saluator in Cœlum ascendisset, nemine hic in Terris constituto, qui vices suppleret suas, & Ecclesię lites dirimeret, controuersias decideret; qui docendo fallere, Diuino sibi assistente præsidio, non valeret: quid homines mussitando eruarent? eum improuidum, & insipientem ecclesiastici ædificij architectum, qui ouium

suarum salutem ac tranquillitatem negligeret insimularent, arguerent, blasphemarent, & cum Eliphaz Themanite Iob. 22. conquærerentur, dicentes. *Quid* enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec nostra *considerat*. Verùm quia Pastorem Ecclesiæ suæ dedit, qui prænarrata, & ampliora Ecclesiæ beneficia præstat; homo inanis & insipiens, nempe hæreticus, qui huiusmodi Pastorem magnopere venerari debuerat: furem, Antichristum, tyrannum, desertorem esse, impudenter ac impudicè denunciat. Et qui velut Turba Saluatoris sequax, Dei pietatem ac prouidentiam collaudare debuerat, illis verbis: *Benedictus* Deus qui dedit potestatem talem *hominibus*; Matth. 9. pro benedictionibus; blasphemias, & contumelias porrigit. Sed hæc inuidia Diaboli est, & hæreticorum dementia. Det misericors Dominus intelligentiam.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SECVNDA.

An Apostoli æqualem à Domino receperint Potestatem.

In hac disput. Auctor disceptare incipit aduersus Philadelph. Metropolitam.



POSTOLATVS nomenclatura á Græco descendens idiomate, missionem, & legationem significat, quo sensu ad rem nostram, Io. 13. legitur *Neque Apostolus maior est eo qui misit illum*, & 2. Cor. 5. *Legatione fungimur pro Christo* Hæc autem nobili ac illustri commissioni à priscis ascripta fuit, nam Athenis olim Apostoli, magistratus quidam erant, quorum munus ad rectè curandam, ac instruendam classem ferebatur, & Paulus ad Heb. 3. Christo Domino Apostoli nomen attribuit, dicens. ☞ *Considerate* Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ *Iesum* ☜. & a Rom. 11. ☞ *Quamdiu* sum Gentium Apostolus, ministerium meum *honorificabo* ☜ Quod ex multis muneribus quæ Apostoli exequebantur



bantur

bantur redditur euidentius. Magistri etenim fuerunt costituti á Christo Domino *euntes ergo docete omnes Gentes*. Matth. vlt. vt Orbem terrarum sacra Euangelij doctrina illuminarent, cuius veritatem signis, prodigijs, & portentis ostenderent. dicente Apostolo ad Heb. 2. ☞ *Contestante* Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundúm suam *voluntatem*. Principes fuerunt in Ecclesia; prout in scripturis sanctis pronunciatum fuit, psal.44. *Constitues eos Principes super omnem Terram.* & opere exequutioni mandarunt. nam potestatem excercebant. 1. Cor. 4 ☞ *Quid* vultis in virga veniam ad vos, vel in charitate, & spiritu *mansuetudinis*? ☜ & 2. Cor: 10. ☞ *Et* in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia &c. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non *erubescam etc.* ☜ Episcopos ordinabant, & Ecclesijs preficiebant. ad Tit: 1. ☞ *Huius* rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per Ciuitates præsbiteros, sicut &

ego

ego dispoſui *tibi*. ☞ Legislatores erant: Act. 15. *Paulus* veró electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei á Fratribus. Perambulabat autem Siriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & *Seniorum*. Epiſcopi qui vbique terrarum omnibus fidelibus præſidebant, nam Petrus Act. 1. cúm Matthiam loco Iudæ Apoſtolum elegit, inquit. *Scriptum* eſt enim in libro pſalmorum. Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: & Epiſcopatum eius accipiat *alter*. Iudices controuerſiarum de Religione qui errare non poterant, Act. 15. ☞ *Viſum* eſt enim Spiritui Sancto & Nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis *etc.* ☞ & sacrarum scripturarúm noui Teſtamenti Auctores, vt reipſa patet: Sacerdotes á Chriſto Domino ordinati in vltima Cæna. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Ioan. 20. ☞ *Accipite* Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt. ☞ Sapientia ac cœleſti doctrina imbuti n die pentecoſtes Act. 2. adeout prædicantius Apoſtolis; Angeli cælorum myſteria di-

uina

uina addiſcerent, vt monet Paulus ad Eph. 3. *In* Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi á ſæculis in Deo, qui omnia creauit: vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis Sapientia *Dei*. Apoſtolatus itaque vox, legationem, ſed in re noſtra nimis nobilem ac illuſtrem, magna ſimul cum poteſtate, ſignificat.

Dignitas hæc Apoſtolatus cum his quę ſuperius pręnarrata ſunt, ęqué omnibus qui à Saluatore Apoſtoli ſanciti fuerunt, inſuit: omnes enim iure Apoſtolatus ea munera, vt ſibi neceſſaria pro Chriſtiana Religione diſſeminanda obtinuerunt: hoc tantùm adiuncto diſcrimine, quod Petrus hanc toti orbi præſidendi poteſtatem, vt illi ordinariè collatam habebat; cœteri autem Apoſtoli vt delegatam obtinuerant. quamobrem præfatum præſidendi ius, ex hac vita abeuntibus Apoſtolis, terminum accepit, nec hæredes habuit: Petrus autem ſucceſſores ſibi vſque ad conſummationem ſæculi Romanos Pontifices reliquit. & hoc eſt ius illud quod Saluator ſoli Petro pollicitus fuit Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas.*

phaſ. Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum*. Et deinde actu exhibuit, Ioan. vltim. *diligis me plus his? Paſce agnos & oues meas*.

Hæretici, qui hanc poteſtatis diſtinctionē admittere ſpernunt, confuſioni ſubiacent: & cùm Petro ſoli poteſtatem ordinariam & abſolutam tradidit, ea verba confundunt, & ad ineptum ſenſum trahunt; pro Petra fidem, vel Eccleſiam, vel fideles fidem confitentes inaniter, & ſcurriliter interprætantur. velut ſi fides, vel fidei confeſsio ſit Ionæ Simonis Petri parentis filia, & á Iona cum vxore ſua genita fuerit. hæ ſunt ineptiæ, in quas fidei deſertores prorumpere coguntur.

Ad aperiendam autem huius diſtinctionis veritatem, ſcilicet de duplici poteſtate, ordinaria, & delegata, aduertendum eſt, poteſtatem ordinariam ſic nominari, quia ſic eſt ordine diſpoſita, & ordinarium officium dicitur, vbi præficitur aliquis certæ functioni. delegatam autem dici à legando, quod propriè in legationem mittere ſignificat. at qui legatus mittitur, non munus perpetuum obtinet, ſed ad tempus. nec nomine proprio operatur, ſed per commiſſam ſibi poteſtatem. cum ergo Petrus vniuerſæ Eccleſiæ Princeps, Paſtor, & Re-

ctor à Domino constitutus fuerit, potestas hæc est illi propria ac ordinaria: ideo successores, & hæredes habet. & quia Apostoli qui sub voce Ouis continentur, Ioann. vlt: Petri subijciuntur potestati, munus illis à Saluatore impositum dicitur delegatum, & commissum, quia Ecclesiæ Principatum absolutum non gerebant.

Hanc catholicam doctrinam firmissimam esse, non solùm Scripturæ sacræ denunciant, sed & consuetudo, quæ est vera legum interpres. Ab initio Ecclesiæ, vt ita dicam, nonne vidimus omnes particulares Episcopos particularibus Vrbibus præpositos fuisse, ipsos autem metropolitanis fuisse subiectos, metropolitanos Patriarchis: Patriarchas autem Romano Pontifici? nonne hoc manifestum est ab initio? & dum Ecclesiam Ethnici adhuc persequebantur Principes, Stephanus Romanus Pontifex cassauit, & pro cassato habitum est Concilium Africanum sub Cypriano collectum anno Dom. 258. Hic enim spectabilis Ecclesiasticus ordo conspicuè cernitur etiam in Concilio Nicæno primo, & Sardicensi, & cæteris sequentibus Synodis. igitur ab initio intellexit Catholica Christi ecclesia, potestatem

tem

tem illam generalem, quam super ecclesiam habuerunt Apostoli, cum in hæredes non fuerit transfusa, delegatam fuisse, non autem ordinariam, & absolutam. sola itaque æqualitas delegatæ potestatis inter Apostolos fuit: ordinariam autem in regimine Ecclesiæ nullam habuerunt, quæ soli Petro adsuit:

Nec de õnimoda paritate inter Apostolos disquirimus, cũad rẽ nõ faciat. scimus enim Apostolos ætate, sapientia, laboribus, externa existimatione inęquales fuisse. Paulus enim inquit 2. Cor. 11. *Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico, plus ego; in laboribus plurimis &c.* fuitque cęteris sapientior, vt disputatione pręcedenti dictum est. Andreas Petro fuit ętate prouectior, vt scribit Ephiphanius hęresi Si. & Baron. Tom. 1. anno 31. nu. 23. Ioannes fuit magis dilectus. Et inter omnes honoratiores habiti sunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, quia Christi transfigurationi adfuerunt, & cũ in horto Patrem oraret, iam proximè Crucifixurus, hi tres ab eo vocati fuerunt. Verúm hoc extra propositam quæstionem vagatur: nec Petri absolutæ, & ordinariæ potestati officit, nec ęqualitati delegatę potestatis cæterorũ Apostolorum obest.

Considerandum tamen est in Apostolis fuisse aliquam potestatem ordinariam, quatenus fuerunt Episcopi. Episcopatus enim ordo est, vt tom. 1. probauimus: Apostoli autem fuerunt proculdubio episcopi, vt Petrus Act. 1. de electione Matthiæ differens, edocuit. at hęc potestas ordinaria Episcopatus, quam nunc Apostolos habuisse fatemur, non opponitur his, quæ prius asseruimus: scilicet Apostolorum potestatem delegatam fuisse. nam tunc de potestate, quam in regimine Ecclesiæ Vniuersæ Apostoli habuerunt loquuti fuimus, non autem de potestate ordinis episcopalis, qui vnam conspicit Diœcesim, & potestatem præsbiteros ordinandi, chrisma conficiendi, & conferendi, Basilicas consecrandi &c. quæ ordinis sunt episcopalis. nam quod hanc potestatem haberent Apostoli ordinariam concedimus: Sed illam super vniuersam Ecclesiam exequi posse, munus delegatum, non ordinarium illis fuit. Enimuerò si hanc quam concedimus delegatam potestatem Apostolis super vniuersam Ecclesiam, vt ordinariam habuissent à Saluatore; seipsum destrueret, & sibimet contradiceret Christus Dominus, quod nefas est enunciare. dum soli Petro illam tribu-

isse

iſſe docuit. & Eccleſia ab initio omnes Epiſcopos æquales, & nunquam Romano Epiſco po ſubiectos ac ſubordinatos æſtimaſſet, & tam en oppoſitum euidenter conſtat. itaque ſola Sacerdotalis, & Epiſcopalis poteſtas Apoſtolis vt ordinaria concedenda erit: omnis autem alterius generis poteſtas, & ipſius Epiſcopalis ordinis exercitium indiſcriminatim ſuper vniuerſam Eccleſiam, delegatum fuit.

Quando autem Apoſtoli ordinati fuerint Epiſcopi, & quo tempore delegatam regiminis poteſtatem acceperint, dicendum eſt. etenim cum Matth. 18. Apoſtolis Saluator dixit. *Amen dico vobis quæcumque ligaueritis ſuper Terram &c.* promiſſa tantúm eo tempore mihi fuiſſe videtur poteſtas hæc, quam poſtea tenuerunt Apoſtoli. ſicut promiſsio, & deſignatio fuit poteſtatis Petro à Domino poſt ſuam reſurrectionem tradendæ, cum Matt: 16. Petro dixit. *Tibi dabo claues regni cælorum: quodcunque ligaueris ſuper terram &c.* ergo dicendum eſt, & Petro, & cæteris Apoſtolis promiſſam poteſtatem tribuiſſe poſt reſurrectionem: poteſtate preſbiteratus excepta, quę pridie quám pateretur in Cæna illis tradita á Saluatore fuit: eo quod illa fuerit vltima cæna:

&

& cætera, quę tunc fecit post resurrectionem, exequi minimè expediebat. vt lotio pedum, quæ magnam ac venerandam illam Cœnam pręcessit, vt patet Ioan, 13.

Perpendere igitur opus est, quo tempore, quo ritu, & quibus verbis Apostoli ordinem Episcopatus susceperint, & simili modo delegatam potestatem, quam super vniuersam tenuerunt Ecclesiam. Cum itaque à mortuis resurrexit Saluator, vt Ioannes cap. 20. enarrat ad Apostolos simul stantes accessit, dixitque *Pax vobis, sicut misit me Pater, sic ego mitto vos. Hæc cum dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Deinde iterum apparuit Saluator Apostolis, dixitquæ cum primùm Apostoli prandissēt. *Simon Iaannis diligis me plus his? Pasce agnos & oues meas.* & vt Marcus scribit c. vltimo recūbentibus vndecim Apostolis dixit illis. *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ.* deditque potestatem doctrinā quā promulgaturi erant signis prodigijs & portētis verā ostēdere. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpētes tollent, et si mortiferū quid biberint nō*

eis

nocebit, &c: & vt Mattheus capit. 28 e-
rrat ascensurus in Cœlũ dixit. *Data est mihi*
's potestas in Cælo, & in terra. eũtes ergo docete
ınes Gentes bapizantes eos &c. docentes eos
·uare omnia quæcunque mandaui vobis &c.
æc sunt quæ Christus Dominus, postquam
surrexit á mortuis, Apostolis dixit, in ordi-
: ad potestatem illis traditam. Nunc autem
ıgula sunt examinanda.
Quatuor enim in Apostolis consideranda
nt: Apostolatus, Præsbiteratus, Episcopatus,
Sacræ Politiæ administratio. Apostolatus
:c complectitur munera: euangelizare, te-
ficari, canonicas scripturas constituere, præ-
:are omnibus Gentibus, maracula patrare,
æsbiteratus veró munus est, Sanctissimum
ıcharistiæ Sacramentum conficere, Deo in-
ıentum corporis, & Sanguinis Christi Sa-
ficium offerre, & in foro interiori peccata
nittere. Munus episcopatus quod nam sit,
ɔerius dictum est. Sacrę autem politię admi-
stratio, potestatem directiuam, & coerciuam
ı punitiuam complectitur. In præsbiteratus
Episcopatus munere omnes Apostoli inter
& cum Petro æquales fuerunt. in reliquis
equales in ordine ad Petrum. nam omne
aliud

aliud munus Petro tantùm commissum fuit; sicut ipsi soli fuerat pollicitum. cæteris autem Apostolis hæc potestas, quæ Petro erat ordinaria, fuit delegata: & huius potestatis exercitium fuit illis commissum, quia ad Ecclesiam vbique terrarum fundandam, ea delegata potestas necessaria fuit. Et hoc annuit S. Leo Papa epist. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, cùm dixit. *Inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tantùm datum est, vt cæteris præemineret.* & Hieronimus lib. 1: contra Iouinianum. *Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tolleretur occasio*: & Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum. *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit, & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, et potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, et primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.* quia scilicet vni tantùm datæ sunt claues, vt ordinario Pastori, cæteris autem delegatè. etenim si de temporis prioritate loqueretur Cyprianus, vnitas Ecclesiæ non subsisteret, quid

enim

im refert duodecim æqualem habentes po-
ſtatem & ſine ſubiectione ad alterũ, eſſe unũ
incipem, quia vnus illorum prius tempore
m recepit poteſtatem? ſubſiſtit autem unitas
vnus abſolutè eam habeat poteſtatem, quam
teri illi ſubordinatam poſsideant, vt ſanis pa-
t. Videndum ergo eſt, quando Chriſtus Do-
inus primum Apoſtolatus munus Apoſtolis
ididit. nam Secundum munus ſcilicet præſ-
teratum, primũ eis dederat in cæna, vt prin-
pió dictum eſt. primum ergo datum fuit illis
rbis Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, ſic ego mit-
vos*. Matthiam tamen, & Paulum excipi-
us, qui tunc ad munus hoc electi non fue-
nt, vt patet. quo autem tempore Matthias
ſtea præsbiter et Epiſcopus ordinatus fuerit,
riptura minimè enarrat. Paulum autem præ-
iterum, & epiſcopum factum eſſe legimus,
ſi prius Apoſtolatus dignitatem à Saluatore
tinuerat, cúm raptus fuit vſque ad tertium
lum; vt Dominus Act. 9. Ananiæ aperuit di-
ns. *Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte
portet nomen meum coram Gentibus, et Re-
us, et filijs Iſrael*. & ipſe in epiſt. ad Galatas
onet, dicens. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti
n ab hominibus, neque per hominem. ſed per*

Christum Iesum. tunc autem presbiterum, & deinde episcopũ ordinatũ fuisse dicẽdũ est, cùm Act. 13. legitur. *Ministrantibus autem illis Domino, et ieiunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos etc.*

Propriæ Apostolici muneris partes, traduntur illis verbis. *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos. et Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ etc. Docentes eos seruare omnia etc. In nomine meo demonia eijcient, linguis loquentur nouis etc.* quod redditur euidens, quia Paulus se Apostolum á Christo Domino electum, & constitutum docet: quod non nisi cúm raptus fuit vsque ad tertium Cęlum exequutum est: eo tamen tempore potestatem solùm ad docendum vbique, medijs signis, & prodigiis, & canonicam doctrinam exhibendam, accepit: in reliquis ad Ananiam episcopum Damasci directus fuit: ergo tunc ordines præsbiteratus, & episcopatus non obtinuit ergo Apostolatus formaliter, & nudè consideratus prælatum munus tantúm includit: tria autem sequentia mune-

ra

prius enumerata ad Apoſtolatus integrita-
n requiri videntur, quod in ſola euangeli-
tione medijs prodigijs conſiſtere dicendum
ihi videtur.

Quod quartò in Apoſtolis conſiderandum
it, eſt Sacræ politię adminiſtratio: quam ō-
:s Apoſtolos habuiſſe, & exequutioni dediſ-
, conſtat; quia Eccleſias cathedrales inſtitu-
ıant, Epiſcopos ordinabant, maleficos pu-
iebant 2. Cor. 10. *Nam etſi amplius aliquid
oriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit
ıbis Dominus etc.* & cap: 13. *vt non præſens
ırius agam ſecundù m poteſtatem quam dedit
ihi Dominus* 1. Cor. 15. *Quid enim mihi de
s qui foris ſunt iudicare?* & cap. 6 *Neſcitis
,oniam Angelos iudicabimus? quanto magis
cularia? ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis
ntemptib les qui ſunt in Eccleſia illos conſti-
ite adiudicaudum &c.* Quicquid tamen ad
ıteſtatem directiuam & coerciuā in sacrę po-
iæ adminiſtratione ſpectat; ſoli Petro ordi-
ıria, & abſoluta poteſtate commiſſum fuiſſe
ɛteris autem Apoſtolis delegata commiſsio-
: traditum eſſe, neceſſariò aſſeuerandum eſt
t autem quæ præmiſimus diſtinctè, & ordi-
ıté diſponamus tres ſtatuimus Cōcluſiones.

Prima Conclusio. Apostolatus magnam ac seriam potestatem à Saluatore acceptã inuoluit. Patet ex his quae in huius disputationis initio diximus. Quanta insuper Apostolica legatio fuerit, constat etiam primò à mittentis mira magnitudine. Ille autem Apostolos misit, de quo Paulus ad Heb. cap. 1. differens, inquit. *Quem Deus constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula. qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quando differentius præ illis nomen hæreditauit &c.* & ad Ephes. 1. *Suscitans Christum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo; sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* &c. Hunc Dei filium Apostoli in eorum munere gerebant, vt idẽ Paulus monuit 2. Cor. 5. *Legatione* fũgimur pro Christo, tãquã Deo exhortãte per nos: obsecramus pro Christo, recõciliamini *Deo.*

Se-

Secundò respectu eorum ad quos missi
unt, nempe totius humani generis. Dictum
nim illis á Saluatore fuit. Matth. 28. *Data
est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.
Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizan-
tes eos &c. docentes eos seruare omnia quæ-
cumque mandaui vobis.* & Act. 9. Vade, quo-
niam vas electionis est mihi iste, vt portet no-
men meum coram Gentibus, & Regibus, &
filijs *Israel*. quod etsi Paulo dictum sit: at-
tamen quia iure Apostolatus hoc habuit, &
hoc idem cæteri exequuti sunt Apostoli, om-
nibus illis pariter mandatum fuisse patet. igi-
tur respectu eorum ad quos legatio missa fuit,
super cuiuscumque generis legationes nobi-
liorem esse, constat.

Tertio, ratione materiæ huius legationis.
Quod enim negotium agebant Apostoli? Di-
uinæ legis satores erant: fidei mysteria aperie-
bant: idolulatriam, & varios errores fugabant
Orbem terrarum ignorantię tenebris oppres-
sum cœlestis lumine doctrinæ irradiabant: vt
ignis æterni pœnas effugerent, & immensæ
beatitudinis præmia consequerentur, homi-
nes instruebant, vt per gratiam sanctificante-
m à peccatis liberi iustificarentur: & Dei a-

do-

doptiontm, & hæreditatem consequerentur? O' ingens negotium (o legationis opus omni sæculorum seriæ prorsus inauditum! Hoc enim Dominus per Isaiam cap.9.olim ostendit, cùm dixit. ❧ *Primo* tempore alleuiata est Terra Zabulon, & Terra Neptali: & nouissimò aggrauata est via maris trans Iordanem Galileæ *Gentium*. Terra enim vnde Apostoli de quibus Act 2. legitur, ❧ *Nonne* ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilei *sunt*? ☙ vocati fuerunt, ab hominibus procul á dignitate positis colebatur. quod illis verbis *primo tempore alleuiata est* significatur: at postquam inde Saluator Apostolos euocauit, honoris magnitudine mirum in modum plena ac decorata fuit: ideoque *aggrauata* denunciatur. idcirco Apostolicum munus immediate subnectitur, his verbis. ❧ *Populus*, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis ☙ Igitur huius conclusionis veritas, ex his quæ in huius disputationis initio, & ex his, quæ nunc subijcimus patefacta est.

Secunda Conclusio. Apostoli omnimodam paritatem ad inuicem non habuerunt. sensus Conclusionis est, Apostolos in scientia

hono-

onore laboribus, ac in Populorum multitu-
ine ad Dominum conuocanda, non fuisse
ares. Quod redditur euidens, primò, quia
aulus in prænarratis operibus ac muneribus
it excellentior. vt ipse 2. Cor. 11. monet di-
ens: *Ministri* Christi sunt, vt minus sa-
iens dico, plus ego: in laboribus plurimis, in
arceribus abundantius, in plagis supra mo-
am, in mortibus frequenter &c. existimo e-
im nihil me minus fecisse à magnis Apostolis
am etsi imperitus sermone, sed non *Scien-
a*. & ad Rom. 15. *Non* enim audeo ali-
uid loqui eorũ quæ per me non efficit Chri-
us in obedientiam Gentium, verbo, & factis
i virtute signorum, & prodigiorum, in virtu-
: Spiritus Sancti: itaut ab Ierusalem per cir-
uitum vsque ad Illiricum repleuerim Euan-
elium *Christi*. Pauli Apostoli sapientiam
lmirandam Petrus Apostolorum princeps
pist. 2. cap. 3. ad hæc his verbis edicit. *Pro-
ter* quod charissimi hæc expectantes, satagi-
: immaculati & inuiolati ei inueniri in pace:
: Domini nostri longanimitatem salutem ar-
tremini sicut, & charissimus frater noster
aulus secundùm datam sibi sapientiã scripsit
obis, sicut & in õnib⁹ epistolis loquẽs in eis de

Petrus

Petrus in hoc munere etiam cæteros excelluit Apostolos. nam Iudeis primùm euangelizauit, vt Paulus ad Gal. 2. enarrat. *creditum est mihi Euangelium præputij: sicut et Petro circumcisionis*. Deinde Gentibus: nam in Antiochia Syriæ pluribus annis cathedram tenuit. & tãdem Romam totius orbis caput ad euangelizandum venit. Quamobrẽ in huius Apostolorum Principis laudem S. Leo Papa ser. 1. de sanctis Apostolis Petro, & Paulo, inquit. ¶ *Cum* duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sãctum omnium locutione linguarum, imbuendum euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent: beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii &c. Ad hanc ergo Vrbem tu beatissime Petre Apostole venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementiũ bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis oceanum constantior quám supra mare gradereris, ingrederis. Iam populos qui ex circũcisione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primúm Christiani nominis dignitas est orta fundaueras. iam Pontũ,

Ga-

latiam Cappadociam, Asiam, atque Bit hy,
m legibus Euangelicæ prædicationis; A.
ıeras etc.

Ioannes quoque Apostolus inter cæteros
ıiori honore decoratus legitur. fuit enim
:er Apostolos magis á Saluatore dilectus: vt
e cap. 21. scribit *Conuersus* Petrus vidit
ım discipulum, quem diligebat Iesus sequē-
n: qui & recubuit in cæna super pectus eius
dixit: Domine quis est qui tradet *te*? &
eron. lib. 1. contra Iouinianum inquit de
ınne. *Fuit* autem Ioannes, & Apostolus,
Euangelista, & Propheta. Apostolus quia
ipsit ad Ecclesias vt magister: euangelista,
ia librum euangelij condidit, quod excepto
attheo, alij ex duodecim Apostoli non fece-
nt: Propheta, vidit enim in Patmos Insula,
qua fuerat á Domitiano Principe ob Domi-
martyrium relegatus, Apocalypsim, infi-
a futurorum mysteria *continentem*.

Accepit etiam adoptione matrem, Beatis-
nam semper Virginem ac Dei param Mari-
ı, mandato Domini, tunc semetipsum ho-
ım pro peccatis nostris in ara Crucis offe-
ıtis, vt Ioannes ipse cap. 19. enarrat dicens.
Stabant autem iuxta Crucem Iesu mater e-

ius, & soror matris eius Maria Cleophę, & Maria Magdalenæ. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in *sua*. Euidens ergo est, Apostolos in scientia, honore, laboribus, ac in Gentium multitudine ad Dominum euocanda, omnimodé pares non fuisse.

Tertia Conclusio. In sacræ Politiæ administratione & in potestate vbique docendi, & cętera similia indiscriminatim exhibendi, Apostoli æquales nõ fuerũt, cũ õnes Petro fuerint subiecti: Probo: Omnis qui sub hac voce Ouis Christi includitur, sub potestate, & iurisdictione illius est, qui Pastoris munus á Domino suscepit: Sed Apostoli sub voce Ouis Christi continentur: ergo subijciuntur illi, qui Pastoris munus à Domino recepit. Subsumo, Inter Apostolos solus Petrus munus Pastoris habuit: ergo soli Petro cæteri subduntut Apostoli.

Maior propositio est nota ex terminis: aliter metaphora Christi Domini de ouibus, & Pastore rueret, & inanis ac inepta esset: quod stultum imó blaspemum est affirmare.

Quod ergo superest probandum, est. Apostolos

los oues sub Petro fuisse à Domino consti-
tos. Quod probo duabus vijs ac medijs. pri-
ò ratione, & auctoritatibus veterum sancto-
m Patrum, & antiquis Ecclesiæ testibus. se-
ndò, iure vetustissimæ consuetudinis, quæ
t vera legum interpres: hæc autem semper
. Ecclesia Monarchi cum demonstrauit re-
men: & Petri cathedram omnium fuisse ma-
em, & magistram: ergo docuit pariter, eti-
n Apostolos oues fuisse sub Petro: vt infra
atebit.

Quoad primam viam ac medium. Saluator
oster, quia fidelis erat in his quæ pollicitus
erat exhibendis, antequam Cælos ascende-
et, Ioann. vlt. coram omnibus Apostolis, eo
odo ac forma, vt nemo nisi demens, & ini-
uus id obtenebrare audeat: Simonem filium
onæ euocat, & alloquitur: patrem illius inter-
onendo, vt omnes illi soli, & non omnibus
unus vniuersalis Pastoris datum intellige-
ent. quod & fecit cum hoc idem munus Ma-
h. 16. ei se daturum promisit. dicens *Beatus*
Simon bar, idest filius Ionae. & aliam in actu-
i exhibitione potestatis superaddens condi-
onem, inquit *Diligis me plus his?* idest plus-
uam cæteri Apostoli; excipit enim illum á

cæteris Apostolis.& deinde ei singulariter excepto, ait. *Pasce agnos, et oues meas*. ergo omnes oues Christi, illi tanquam Pastori subiecit: Sed Apostoli sunt oues Christi: vt Saluator monuit Ioan, 10. *cognosco oues meas, et cognoscunt me meæ*: ergo & Petro tunc illos subiecit. Quod autem tunc solum Petrum Pastorem constituerit, manifestissimé patet . Etenim si Paterfamilias omnes suos famulos coram se adesse præcipiat, & ex illis vnum euocet, & dicat, vis me plus his diligere,& in domo mea curanda diligentior esse? & ille respondeat: vtique, tuamque exequar voluntatem. & Paterfamilias deinde subinferat. Accipe claues & curam omnium bonorum meorum. postea si quisquam affirmare auderet Patremfamilias omnibus seruis æqualem potestatem super curandis bonis eius tribuisse, nonne deliraret? sic dementes sunt, qui potestatem super Apostolos,& Ecclesiam suam solum Petrum non obtinuisse temerè eructare audent.

Sed occurrunt huic demonstrationi, qui á Christi ouili desertores fugierunt, dicentes: Saluatorem Petro tunc hanc dedisse potestatẽ, & trina interrogatione hoc fecisse: vt Apostolatum, quem Christum ter negando amiserat

restitueret: nihil proinde dedisse ei peculia-
super cæteros Apostolos.
O lepidum inuentum (si ita res est vt id
cerit quia Apostolatus ęqualē cũ cęteris pote
ıtē tũc restituere voluit: cur dilectionē ma-
rem, & non æqualē expostulat? tam durus
:actor est Saluator noster, vt Petro æqualem
ım cæteris Apostolis potestatem restituere
ılens, maiorem supra cæteros Apostolos
ıærat triplici interrogatione dilectionem?
ıntra orandi, & disserendi regulas loquutus
set Saluator, si vt Petro ęqualem cum cęte-
; potestatem tribueret, maiores ac meliores
quireret conditiones. imò retorqueo hoc
gumentum aduersus hæreticos. Saluator, vt
:t Petro Pastoris munus, maiorem dilectio-
·m ea, quam à cæteris obtinebat Apostolis
quirit: ergo maiorem potestatem ei tribuit,
per eam quam alijs Apostolis tribuerat. hic
: rectus disserendi modus. Quia autem hanc
premam potestatem triplici interrogatione
ominus tribuit, Augustinus & Ambrosius id
:tum fuisse dicunt, vt triplici negationi Sal-
tor occurreret: illi autem tunc in Apostola-
; munere redintegratum fuisse excogitare
luerunt.

Præ-

Præterquàquod si tunc, vt ipsi dicunt, Apostoli plenissimam á Domino acceperunt potestatem, cúm eis dixit. Ioan. 20 *Sicut misit me Pater: ita ego mitto vos*. Petrus tunc cum cæteris erat Apostolis: ergo etiam ipse eo tempore plenam Apostolatus obtinuerat potestatē: ergo vanum est affirmare tunc Saluatorem ad Apostolatum reuocasse Petrum, cum cap. sequenti illi dixit. *diligis me plus his? Pasce agnos et oues meas*. quia iam erat Apostolus sicut cæteri, ó cæci, & duces cæcorum! vera & sana sequela hæc est. ergo soli Petro aliquid tunc contulit eximium, nempe sui Vicariatū, quia iam prius cum cæteris institutus erat Apostolus.

Præterea cum primúm Simonem ad Apostolatus munus euocauit, nonne cognouit passionis suæ tempore eum negaturum? cur ergo non abstinuit illum Cepham seu petram nuncupare? cur non cæteros Apostolos eodem appellauit nomine, si omnibus Apostolis æqualē super Ecclesiā suā daturus erat potestatem? cur solus Simon vocatus est Petra? ratio hæc est, quia solus Simon Pastor vniuersæ Ecclesiæ futurus erat, & Saluatoris vicariam potestatem super Apostolos, & quoscunque

ue homines solus ipse obtinere debuerat.

Ad: o: si Petrus, quia ter negauit se Saluatorem nouisse ab Apostolatus dignitate exciderat itaut redintegratione opus haberet: ergo, & Thomas pariter excidisset; imò multo magis, quia Petrus Saluatorem non nouisse dixit: at Thomas resurrectionē, & cōsequēter eius diuinitatē negauit. & tamen cur nō dixit ut Thomam redintegraret in Apostolatus dignitate: Thoma diligis me plus his? pasce agnos & oues meas, quo enim tempore si ambo ab Apostolatu excidissent, Thomas redintegratus esset? sed erant huiusmodi apostaticæ inuentiones, quæ malitiā peruersitatē, vel in diuinis rebus ignorantiam ostendunt. hoc animaduertere debent quòd Saluator, qui in scripturis Sanctis Petra & lapis sæpe sæpius denuntiatur, quia fundamentum est Ecclesiastici ędificij, pari modo dicitur lapis offentionis, & petra scandali, quia scilicet peruersis, & contumacibus causa fuit perditionis, & exterminii: Petrus qui à petra, & lapide Christo sic dicitur quia super vicariam eius potestatem fundauit Ecclesiam: his qui ab ouili Christi aufugiunt, & apostatæ ac desertores á catholica fide fiunt, eisdem est lapis offensionis, & petra

scan-

Scandali, & ignis æterni,& perpetuæ damnationis causa.

Sed ad nostrum probandum institutum reuertamur; ostendere enim tenemur Apostolos oues sub Petro supremo Pastore fuisse, veterum Sanctorum patrum, & vniuersalis Ecclesiæ testimonio. Chrisostomus super Ioannem hæc Saluatoris verba expendens, Pasce oues meas. ait: *Alijs* omissis, Petrum dumtaxat affatur: fratrum ei curam committit *etc.* & homilia 87. super Ioan. tom. 3. ait *Dicit* ei pasce agnos meos. Quid tandem alijs omissis de his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & Princeps, & vertex ipsius cætus: propterea, & Paulus eum præter alios visurus ascendit *etc.* & homil. 3. super acta Apostolorum tom: 3 examinans illud, *exurgens* Petrus in medio discipulorum ait. Quã est feruidus! quám agnoscit creditum à Christo gregem quám in hoc Choro Princeps est! & vbique primus omnium incipit loqui. quid clarius ex Chrysostomo? chorũ enim Apostolorum, gregem, cuius Petrus est Pastor, appellat.

S. Leo serm 3 de sua ad Pontificatum assumptione, inquit. *De* toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocatio-

ni,

& omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesię tribus præponatur. vt quamuis in populo i multi Sacerdotes sint, multique Pastores ies tamen propriè regat Petrus, quos prin-)aliter regit, & *Christus* ☞ Hieron. super ılmũ 13. tomo 7. ait ☞ *omnes* Domin ĩ reli- ierũt: intantũ, vt Petrus quoq; qui Apostolo- fuit Princeps *negauerit*. ☞ Princeps enim, & ltor in hoc Ecclesiastico munere idem est: Gregorius lib. 4 epist. 76. inquit. ☞ *Cun-* r Euangelium scientibus liquet, quod voce ɪminica, Sancto, & omnium Apostolorum ncipi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura nmissa *est*. ☞ Sed Apostoli membra Eccle- fuerunt, ergo sub Petri cura extiterunt. Bernardus lib. 2. de Consideratione, ait. *?ui* non dico Episcoporum sed etiam Apo- orum, sic absolutè, & indiscretè totę com- ſæ sunt oues? si me amas Petre pasce oues ıs. quas? illius, vel illius populos ciuitatis, regionis aut certè regni? oues meas inquit. . ☞ Probatur etiã testimonio vniuersę Ec- iæ in Cõcilio Generali tertio, nẽpe Ephesi- :ongregatę. Actione secũda cũ corã Patrib⁹ odi epistolæ Cælestini, Papę lectę fuissent, ippus Pręsbiter legatus eiusdẽ Cęlestini sa-

cra annuēte Synodo vniuersa, dixit ❧ *Gratias* agimus sanctę Synodo, quod literis Sancti beatique Papæ nostri recitatis, Sanctos cantus, Sanctis vestris vocibus, Sancto vestro capiti, exhibueritis. non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei, vel etiam Apostolorum Caput esse beatum Apostolum *Petrum*. ❧

Secundò probo conclusionem iure vetustissimæ, & continuatæ consuetudinis, quę est vera legum interpres. Hæc autem ab initio & semper in Ecclesia regimen Monarchicum fuisse demonstrat: & solam Petri cathedram omnium Ecclesiarum fuisse matrem, & magistram; ergo docuit pariter Apostolos oues sub Petro fuisse. Consequentia est euidens. nã si omnes Apostoli Principes absoluta potestate in Ecclesia fuissent absque subiectione ad Petrum, non vnus sed duodecim Principes extitissent: vbi ergo esset monarchicum regimen quod vnius tantùm est?

Antecedens ergo huiũs Syllogizationis demonstrandum est: semper scilicet solam Petri Cathedram munus Pastoris absoluti ac vniuersalis ritu monarchico super vniuersam Ecclesiam exequutioni mandasse. Quod etsi doctis Viris, quibus veterum gesta nota sunt, e-

uidenter

enter constet: tamen sic probo, & omni-
Synodorum serie & Acti:: & veterum Pa-
m auctoritate.
Anno Domini 258. cum Petri Cathedram
simul omnem Ecclesiam prophani ethni-
rum Principes acerrimè, & crudeliter per-
uerentur, adeout Petri Romana sedes om-
laicorum Principum esset orbata præsidio,
actum fuit Carthagine in Africa sub Cypri-
io Episcopo Carthaginensi Conciliũ quin-
aginta Episcoporum, inquo statutum fuit
ereticos venientes ad catholicam Ecclesiam
baptizandos esse. quibus, & plurium Orien-
ium Synodorum accedebat assensus, quod
audiuit Stephanus Romanus Pontifex, non
imi elatione, non dominandi desiderio,
m eo tempore ad martyrij lauream obtinen
mmedij tormentis inenarrabilibus ob Euã-
icæ veritatis testimonium, & pastores, &
es Christi omnes parati essent, vt iam ope-
compleuerunt; illud Concilium damnauit
que cassauit, & pro damnato & cassato sem-
r habitum fuit: quo ergo iure omnem Afri-
iam, & Orientis Ecclesiam sibi subiectam
gnouit, nisi diuino; nisi Petri, qui super
risti Ecclesiam à Christo Domino Monar-

chá seu absolutus Pastor, Rector, ac Princeps constitutus fuit. Et licét Cyprianus primùm reluctari videretur: tandem siluit, & Romanæ cathedræ tenuit doctrinam. nam libr. 2. epistol. 3. & serm. 2. de ablutione pedum ait. *Baptismum repeti. Ecclesiastica prohibent regulæ.*

Et annis antecedentibus elapsis, scilicet anno Domini 198: habitum est Concilium Asiaticum pro statuendo tempore celebrationis Paschæ, & quia quartadecima Luna Martij celebrandum esse statuerant, Victor tunc Romanus Pontifex illud cassauit Concilium, docens Pascha die dominico post Lunam Martij quartãdecimam celebrari debere. vt monet Baronius anno Domini 198.

Anno Domini 263. Dionysius Romanus Pontifex causam Dionysij episcopi Alexandrini proprio iure examinauit, & iudicauit. ita monet Baronius anno supra citato. & hęc eo tempore á Romanis Pontificibus facta fuerunt, cùm sub Gentilium tyrannide vexati õni carebant dominandi desiderio: ergo potestatis diuinitûs per Petrum acceptæ executores, id faciebant, vt munere proprio fungerentur. vt sanis atque prudentibus hominibus patet.

Hoc

Hoc idem in posterioribus Synodis gene-
ralibus ab Ecclesia, in Orientalibus, & Occi-
dentalibus regionibus celebratis, euidenter
cernitur: ea enim Conc. rata habita sunt
quæ á Petri Romana Cathedra confirmata fu-
runt: & ea damnata atque cassata, quæ eadē
Cathedra cassauit, & damnauit, vt in hac le-
ctione versatis constat, & vt nos fusè Tomo
nostro secundo de Appellationibus demon-
strauimus.

Nunc autem hoc idem veterum Patrum
auctositate verum esse ostendemus, vt supra
me operaturum pollicitus sum. Cyprianus de
vnitate Ecclesiæ inquit. *Qui* Cathedram
Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit
in Ecclesia se esse *confidit*: & postea. *Quo-
modo* multi solis radij, sed lumen vnum; &
rami arboris multi, sed robur vnum tenaci ra-
dice fundatum: & cum de fonte vno plurimi
riui defluunt, numerositas licet diffusa videa-
tur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen
seruatur in *origine*. quibus luculenter con-
stat secundum Cyprianum, Ecclesiam à Petri
Cathedra, velut à fundamento, Capite, & Ra-
dice post Christum, exortam esse ac pendere
omnibus in rebus resoluendis. Et epistol. 40.
aic

ait. *Deus* vuus eſt, & Chriſtus vnus, & vnā Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum, Domini voce *fundata* & lib. 1. epiſt. 3. *Nauigare* audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta *eſt*

Optatus libr 2. contra Parmen. ſic ſcribit. *Igitur* negare non potes, ſcire te in vrbe Roma, Petro primo Epiſcopalem Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus: vnde, & Cephas appellatus eſt. Inqua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cęteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret: ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſsit Linus *&c.*

S: Leo ſerm. 3 in die aſſumptionis ſuæ ad Pontif. inquit. *Manet* ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipſius fertur æquitate iudicium: nec minima eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Beatus Petrus aut ſoluerit aut *ligauerit* hæc autem de Petri Romana Cathedra profert.

Hila-

Hilarius in commen in Mattheum can. 16 ost initium, ait. *O beatus cœli ianitor, cuius bitrio claues æterni aditus traduntur, cuius rrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in elo: vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, atuti eiusdem conditionem obtineant; & in œlo.* hæc autem non de solo Petro, sed de e. s Cathedra ac hæredibus affirmat, vt sanæ enti patet.

Augustinus ser 15. de Sanctis inquit. *In: itutio.* solemnitatis hodiernæ á senioribus ostris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd rimus Apostolorum Petrus hodie Episcopa. is cathedram suscepisse referatur: Rectè ergo cclesiæ natalem sedis illius colunt, quam postolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dinte Domino. Tu es Petrus, & super hanc tram ædificabo Ecclesiam meam, Petrum que fundamentum Ecclesiæ Dominus nonauit: & ideo dignè fundamentum hoc cclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædifi. altitudo consurgit *&c.* igitur à primo vltimum sequitur euidenter, & omnium nodorum, & omniũ veterum Ecclesiæ Pa. im testimonio, ab initio, & semper fuisse in clesia regimen Monarchicum à Petri Ro.

mana

mana ſede exequutioni mandatum:ergo ſemper intellexit Catholica Eccleſia, hoc fuiſſe á Saluatore ſancitum: & ſenſum verborum Domini, quibus Petro hanc ſupremam tribuit poteſtatem, talem fuiſſe, qualem nunc exhibemus, & enarramus: firma ergo ſiſtit hæc veritas, vt viro ſenſato patet: velint nolint fidei deſertores, & hoſtes Petri Romanæ Cathedræ.

Aduerſus hanc poſtremam noſtram Concluſionem inſurgunt Græci ſchiſmatici, qui Romanæ cathedræ primatum á Synodorum Patribus & Romanorum Imperatorum fauore emanaſſe proclamant, & hunc primatum tandem tunc amiſiſſe opinantur, cùm fidei Symbolo contra Synodorum, vt putant, decreta, particulam *filioque* addidit: quas ineptias ac inſanias, tomo ſecundo reiecimus & redarguimus. ſed quia Gabriel Metropolita Philadelphiẽſis librũ in lucem edidit, quo Petri Romanæ Cathedræ primatum alia via magno Græcorum damno deijcere quæritat. docens Apoſtolos æqualis omnino fuiſſe poteſtatis, nullumque ius ſupra cæteros, Petrum à Saluatore habuiſſe: idcirco omnia illius & cæterorũ cõſimiliũ hęreticorũ argumẽta afferã, & refellam.

Prima

Prima obiectio Maiorem acq́sublimiorē po-
statem Saluator Apostolis contulit, cùm di-
t Matth, vlt. & Marc. 16. *Euntes in mundum*
niuersum prædicate Euangelium omni creatu-
:. Lucæ 24. *Tunc aperuit illis sensum, vt in-*
lligerent Scripturas: &c. Vos autem testes e-
is horum &c. Ioan. 20. *Sicut misit me Pater,*
ego mitto vos, Accipite Spiritum Sanctum,
torum remiseritis peccata, remittuntur eis: &
torum retinueritis retenta sunt. Matt. 19. *Iu-*
cabitis duodecim Tribus Israel. & ca. 5. *Vos*
is sal terræ, & lumen mundi. Marc. 1. *faci-*
n vos fieri piscatores hominum &c. quàm
ım Petro inquit. *Pasce oues meas*. sed in his
sequendis, Apostoli à Saluatore æqualem re-
perunt potestatem: ergo etiam, & in pote-
ite oues pascendi æquales fuerunt, & eo ma-
; quia Petrus inferioribus Ecclesiæ ministris
anus pascendi tributum fuisse docet, epist. 1
p. 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei pro-*
dentes non coactè &c.

Respondeo Græcorum Schisma, & omni-
ım Apostatarum hæreses, inani innixas es-
undamento ex huiuscemodi obiectionibus
denter colligi, & aperiri. Etenim illud adest
crimen inter pascendi potestatem, & cæte-

ra quæ enarrantur in obiectione munera, quę Apostolis fuerunt exhibita: quod inter Regiam auctoritatem, & seruorum Regis ministerium adest, & reperitur. Quid est enim pascere omnem Christi gregem, quám vniuersæ Ecclesiæ Principem, Rectorem, & Ducem existere? hoc patet exemplo Dauid, qui verus Rex, & plenissima potestate regnauit super Israel: attamen similibus verbis, & consimili metaphora Rex describitur ac denunciatur 2. Reg. 5. *Tu pasces populum meum Israel.* nec Dauid prædicator, vel Dapifer Regni fuit, sed verus Princeps, regiam habens potestatem: idcirco his verbis, Petrum Ecclesiæ vniuersæ Principem, Saluator instituit. cũ autem idem Petrus loco citato inquit, *Pascite qui in vobis est gregem Dei non coacte &c.* monet Episcopos sibi subiectos ac subordinatos, vt in particularibus Ecclesijs regendis solertiam teneant. Episcopi autem in eorum diœcesibus, Principes sunt, vt Hilarius in Comment. in Matth. cap 27. etiam docet. ideoque Petrus eandem pascendi metaphoram ad illos dirigit. Et quod ita sit ex eodem Scripturæ textu luculenter constat. ait enim. *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior, & testis Christi passionum*

num

m . ergo ad Episcopos qui seniores tunc eti-
n in Ecclesia dicebantur sermonem dirige-
t . quibus Regia potestas Ecclesiam pascen-
partim communicata est : nam in partem
llicitudinis in eo regimine, assumuntur.

Nunc ergo quid cætera ab obijciente enar-
ta munera importent, & inferant, exami-
mus. *Euntes in mundum vniuersum prædi-
te euangelium &c. Tunc aperuit illis sensum
intelligerent Scripturas: Vos testes estis ho-
m . Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.
os estis sal terræ, & lumen mundi. faciam
s fieri piscatores hominum.* His omnibus sim
ex ac nudum Apostolatus munus circum-
ribitur ac enunciatur, quod in euangelizan-
, medijs signis, & portentis æqué omnes
postoli tenuerunt. de potestate autem sacræ
litiæ minimè loquutus est Saluator. Munus
enim simplex Apostolorũ fuit docere om-
s gentes. & quia ad docendum requiritur
telligentia scripturarum: Spiritus sancti præ-
dium, ne errare docendo valerent: & bono-
m operum efficax in agendis exemplum,
od illis verbis *Vos estis sal terræ, & lumen
undi* exprimitur: á Saluatore tunc Aposto-
us munus tribuitur; quod etiam illis verbis

faciam vos fieri piscatores hominum describitur. nam Apostoli Gentes ab idolorum cultura ad Euangelium prædicatione euocantes, eas piscari metaphoricè dicebantur: de Potestate autem regiminis super Ecclesiam, nequaquam tunc factus est sermo: quam deinceps soli Petro Saluator tribuit, vt Ioannes cap. vlt. enarrat.

Illud verò, vos estis sal terræ, & c. August. lib, 1. de sermon. Domini in monte cap. 6. tomo 4. expendens inquit. ☞ *Itaque* si sal infatuatum, fuerit in quo salietur? idest, si vos per quos condiendi sunt quodammodo populi metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum, qui erunt homines &c. vos estis lumen mundi. quomodo dixit superius sal terrę, sic nunc dicit lumen mundi. *&c.* ☜ igitur de præbendo in agendis sanctitatis exẽplo tunc Saluator sermocinatus fuit.

Ad illud: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*. quibus verbis valde vrgent aduersus catholicam veritatem aduersarij: tunc omnem suam potestatem æqué Apostolis tradidisse proclamantes: Respondeo Saluatorem tunc de potestate regimis haud sermocinatum fuisse. Nam munus Euangelizandi in orbe terra-

rum

m non autem Potestatem regiminis, tunc ibuisse docent Sancti ecclesiæ Patres ac Dooıes: hæc enim verba expendentes, sic aiunt. ;regor. homil. 26. in euang. inquit. *Ea chaitate vos diligo, cùm inter scandalum persequtorum mitto, qua me charitate Pater diligit, 'em venire ad tolerandas passiones fecit.* eolem modo Petrus Chrisologus serm. 84. hæc ıtelligit verba.

Chrisostomus homil. 85. in Ioan. ait: *Quae hoc dicit? eorum animos erigit, & suam proni auctoritatem; siquidem suum eis relictuus erat ministerium.* hoc idem sentit Theohilactus in cap: 20. Ioan.

Cyrillus Alexandrinus, similitudinem in munere docendi, & prædicandi his verbis agnoscit, dicens lib. 12. Thesa. cap. 13. *Ordinait his verbis Orbis Doctores, & Diuinorum ıysterium ministros.*

Augustinus tractatu 121. in Ioan. & Beda n Ioann. his verbis tantúm Christi mediatoıs personam exprimi docent. vterque enim ic inquit. *Hic verba mediatoris agnoscimus, ıedium queppe se ostendit dicendo, Ille me, et o vos.*

Cyprianus de vnitate ecclesiæ, tantúm de-

pa-

paritate poteſtatis hæc exponit verba, dicens: *Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, et dicat ſicut miſit me Pater, et ego mitto vos.*

Nihilominus cum aliquo diſcrimine agnoſcit hanc in Petro poteſtatem, adeo quod in Petro abſolutam, & in alijs Apoſtolis delegatam fuiſſe, ſentiat: nam ibidem de vnit. eccleſiæ ſic docet; vt ſuperius enarrauimus. *Qui cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? etc. Quomodo multi ſolis radij, ſed lumen vnum et rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice ſundatum: et cum de fonte vno plurimi riui defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine*. quis non videt Apoſtolorum poteſtatem Petro ſubordinatam fuiſſe, & á Petro dependere ſicut ramorum vigor à radicibus, radij à ſole, riuuli á fonte pendent, prout Cyprianus ſua metaphora dōcet? Igitur etſi de poteſtate tunc Saluator ſermocinatus eſſet: eã Apoſtolis tribuit, vt Petri abſolutæ poteſtati ſit ſubiecta: & inſuper eo modo, & diſcrimine, vt non deſtruat quæ Saluator ipſe alibi dixit: ſe ſcilicet Petro illam abſolutam daturum.

Ioann. I.

oann. 1. *Tu vocaberis Cephas*, Matth. 16. *Ti-*
i dabo claues regni Cælorum Ioann. vlt. *Pasce*
gnos, oues meas. locus ergo iste, quo magnope
e vrgent aduersarij, nil penitus pro ipsi habet.

Præterea si his verbis, sicut misit me pater
&c. omnem potestatem Saluator Apostolis tri-
uit, tunc ibi Petrus aderat, ergo Petrus tunc
nem cum cæteris accepit potestatem. igitur
um deinde omnibus eodem modo præsenti-
us Apostolis illum excipit, eique soli hoc mu-
ius agnos, & oues suas pascendi tribuit,
liquid eximium Petro tribuit, quod pri-
s non fuerat consequutus. indecens ac
lasphemum est affirmare, ea illusoria vel luso-
a verba fuisse. ergo seriò, & reipsa aliquid su-
er Apostolos tunc Saluator Petro tribuit: &
oc aliquid est, vt superius diximus, suprema
otestas ac Principatus regimen super omnes
Apostolos & Ecclesiam vniuersam.

Ad illud. *Iudicantes sedebitis duodecim tri-*
us Israel. ad æqualem Apostolorum potesta-
em ostendendam ineptissimè afferri dicimus,
am ibi de præmio retributionis æternæ disse-
t Saluator, vt omni intelligenti constat. quid
nim refert, ad militantis ecclesiæ regimen,
elestis gloriæ retributio suo tempore exhibē-
da

da? De qua Bernardus, qui se etiam sessurum sperabat, eo quod omnia propter Euangelium reliquisset, serm. de bonis deserendis inquit. *Reliquimus omnia, & sequuti sumus te; hæc sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. &c. in regeneratione inquit, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos. Fælix regeneratio. quando enim, renascar ad sessionem miser homo natus ad laborem?* ergo ibi sermo fit de futuro ordine in Ecclesia triumphante, non autem de ordine sancito in Ecclesia militante.

Ad illud. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata &c.* pari modo insulsum esse ad eorum sectam stabiliendam afferri probamus: nam potestas illa ad ordinem Præsbiteratus pertinet: vt vbique experientia constat: nam simplex Sacerdos eam habet potestatem. erant ergo Apostoli in Præsbiteratus potestate pares, quod verum esse fatemur: ergo etiam pares fuerunt in vniuersæ ecclesiæ regimine: ò subtilem argumentationem! exemp. gratia Alexander Macedo fuit Philosophus. Aristoteles fuit Philophus. ergo Aristoteles fuit etiam Monarcha sicut Alexander. hæccine est huius temporis Græcorum discep-

ptan-

tandi subtilitas: Hæc, & similia sunt fundā
ienta sectarum, & schismatum, quæ extra
Christi Ecclesiam, & Petri Romanam cathe-
ram construuntur.

Secunda obiectio. Nullibi reperitur aliquē
postolorum altero Apostolo maiorem fuisse
mó cum illorum aliquis id expetijsse patuit, á
Christo Domino fuit redargutus. quod patet
Matth. 20. Marci 10. Lucæ 22. de duob. filijs
Zebedei, Iacobo scilicet & Ioanne: qui cæte-
is Apostolis præesse cupiebant. Quibus Sal-
ator ait. *Scitis quia Principes Gentium domi-
antur eorum: & qui maiores sunt potestatem
xercent in eos, Non ita erit inter vos; sed qui-
umque voluerit inter vos maior fieri, sit vester
inister: & qui voluerit inter vos primus esse
rit vester seruus. Sicut filius hominis non ve-
it ministrari, sed ministrare.* ergo omnes A-
ostoli æqualem à Saluatore obtinuerunt po-
estatem: nec alter altero maior fuit.

Respondeo ea, quæ in obiectione afferūtur
upliciter euenisse, vt enarrant euangelistæ.
rimúm; cum filios Zebedei Saluator monuit.
cundò cum passionis tempore Sacra cæna
racta, *facta est contentio inter Apostolos,
uis eorum videretur esse maior*, Quoad pri-

mum : Mater filiorum Zebedei conditiones Regni Christi eo tempore non percipiens, more Gentilium Regum Christum aliquando regnaturum æstimauit; quamobrem auiditate fœminea suos Saluatori commendauit filios, vt tanquam ei consanguineos, & affines, cæteris præponeret Apostolis; vt prius notauit Chrisost. homil. 66. dicens. *Quid est porro est quod petunt? alius te docebit Euangelista: nam quoniam inquit prope Hierusalem erant, credebantque regnum Dei iam iam euenturum, quod huius vitæ ac sæculare opinabantur.* & Hieron. in caput. 20. Matthei ac Theophilactus in Matth. cap 20. aiunt. *Opinabantur filijs Zebedei quod vadens Hierosolimam Dominus, regnaturus esset regno quodam temporali, &c.* Saluator ergo vt immoderatum mulieris desiderium cohiberet, verba in obiectione relata protulit. numquid vt ab Ecclesia regiminis Principatum auferret? inanis, & ineptus esset hic theologizandi modus. num Ecclesia militãs hominum turba sine Duce, & ouile sine rectore futurum erat? num Turris Babel omni confusione redundans? si adhuc dato á Deo Ecclesiæ supremo Rectore Petri hærede nihilominus suadente diabolo, tanta errorũ

& he-

hæresum adest colluuies, & tot inter Chri-
anos populos oriuntur dissentiones, rixæ,
circa credibilia contentiones, quid accide-
t si Ecclesiæ Deus summum Pastorem non
edisset? vir prudens edicat. Quoad secundum
ilicet, cùm *facta est contentio inter Apostolos,*
uis eorum videretur esse maior. eadem quæ pri-
Matth. 20. dixerat, iterauit. nempe. *Reges*
entium &c.

Quid ergo his verbis Saluator edocuit? fa-
ım, pompam, splendidam ostentationem,
ıam Gentium Principes tenuerunt, hoc ab
clesia Christus Dominus reijcit, & abijcit;
ın autem regiminis principatum, & quod
sit, patet primò, quia in re huiuscemodi se
sum præbet exemplum. ait enim: *sicut filius*
minis non venit ministrari, sed ministrare.
ipse filius hominis, Rex, Princeps, & supre-
ıs Pastor est Ecclesiæ suę, & omnium crea-
arum; ergo non primatum regiminis, nec
gimen damnat, sed tantùm pompam ac fa-
m in regimine. Secundò, quia Saluator his
bis fatetur inter Apostolos aliquem Maio-
ı futurum, & Primatem, vt viro sensato pa-
: nam inquit: *quicunque voluerit inter vos*
or fieri et primus, erit vester minister & ser-

nus: quibus nam verbis poterat Ecclesiæ Pastor exprimi quàm *maioritatis, et primatus*? huic tamē qui maior ac primus erat futurus, humilitatis exemplum insinuat: vt charitate dilectione, benignitate, suam ministret potestatem, non autem elatione animi, dominandi libidine, more eorum, qui Reges Gentiū sunt.

Tertió, quia si summus Principatus in Ecclesia futurus non erat, cur exemplum de Regibus, & Principibus Gentium sumpsit Saluator? si munus tantúm euangelizandi in Ecclesiæ Pastore futurum erat, humilitatem ac modestiam veterum Oratorum, non autem Regum proponere, & assumere debuerat. Dices, ministrorum assumpsit exemplum, ergo Regiam supremam potestatem respuit. Contra, Reges ministri sunt, nam Philosophus in Polit. Principem œconomum appellat, ergo minister est, qui communi subditorum vtilitati vacare debet. & si de eorum genere ministrorum non sit, qui vilia tenent pro cæteris artificia. nullius ergo momēti e st instantia. & Petrus Apostolus qui hanc Domini voluntatem his verbis testatam, optimé nouit: epist 1. cap. 5. ad particularium ecclesiarum Pastores, sibi subiectos, scribens ait. *Seniores ergo, qui in vobis*

sunt

unt, nempe in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia: *Obsecro: consenior et testis Christi passionum: pascite qui in uobis est gregem Dei, prouidentes non coacté, sed spontaneae secundum Deum; neque turpis lucri gratia: sed voluntariè. neque ut dominantes in cleris. sed forma facti gregis ex animo etc. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate etc.* Ergo Petrus qui mentem Domini nouerat, non excludit ab ecclesia principatum, sed Ecclesiæ Principibus humilitatem, & benignitatem suadet.

Græci autem hæc obijcientes, sic obiectione concludunt. Princeps in ecclesia formam gentilium Regum tenere non debet: ergo in ecclesia nullo modo datur Primatus vel, Regẽ Galliarum ritum dominandi quem Princeps Turcarum tenet, habere non decet: ergo Rex Galliarum non est Rex: vel ergo in Regno Galliarum Regem adesse non licet. quid ineptius?

Enimuero huiusmodi Græcis sic obijciendus magis expediebat Constantinopolitanum, quem dicunt Patriarchã arguere, quám Romanum Pontificem, Petri hæredem, vsurpatæ potestatis insimulare: Quæro ab istis, si Apostoli sunt æqualis potestatis, & Episcopi

succe-

ſuccedunt Apoſtolis, cur epiſcopum Conſtantinop. Patriarcham ſuper Epiſcopos, & Archiepiſcopos prædicant? imò œcumenicum, ídeſt vniuerſalem, quód impium eſt, denunciant; cum omni iure hoc illi repugnet. Si iure diuino, & Chriſti Sanctione Apoſtoli æqualem obtinuerunt poteſtatem, & conſequenter epiſcopi, qui vt ipſi fatentur, in hoc munere Apoſtolis ſuccedunt, quis nam ſupra hoc ius diuinum, & Chriſti decretum, epiſcopum Conſtantinop. inæqualem, & ſupremam ac vniuerſalem auctoritatem poſsidere ſanciuit? eſt ne aliquis apud eos, qui ſupra Chriſtum Dominum eiuſque ſancita decreta, poteſtatem habeat? ò cæcitatem, vel malitiam (dummodo Romani Pontificis primatum Græci oppugnent, & ſi ſeipſos deſtruant, & turpem cõtradictionis laqueum incurrant: nullam rei curã gerunt. Si autem catholicam veritatem venerentur, iure omnia facta fuiſſe ſentient. nam Petri hæres qui ſupremam habet in Eccleſia poteſtatem, Epiſcoporum aliquem poteſt Patriarcham inſtituere, qui multis præſit Epiſcopis.

Tertia obiectio. In electione Matthiæ in Apoſtolum Act. 1. & in electione Leuitarum

ꝉ ct.6. omnes Apoſtoli pari & conſimili mo: o eligunt ſic enim legitur Act. 1 *et ſtatuerunt uos, Ioſeph; qui uocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, et Matthiam.* & Act 6 *Conuocātes autem duodecim multitudinem diſcipuorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinuere uerbum Dei, & miniſtrare menſis. Conderate ergo fratres, uiros ex uobis boni teſtimoij ſeptem, plenos Spiritu Sancto, et Sapientia, uos conſtituamus ſuper hoc opus etc.* Ergo ōes Apoſtoli parem habebant poteſtatem: ec Primus nec Supremus Paſtor inter eos ιit.

Reſpondeo ineptiſsimam hanc obijciendi ormam, maximum odium aduerſus Petrum, & eius Romanam Cathedram, & non minoem inſcitiam ac imperitiam cunctis legentib' perire. hoc enim modo concludit obiectio; truscum cæteris Apoſtolis Deum orabant. t quem loco Iudæ proditoris vellet Apoſtoım oſtenderet. ergo omnes Apoſtoli parem abuerunt poteſtatem. quid tibi videtur Amiē Lector? Præterea, ibidem Petri primatus eidens eſt: nam primus loquitur dicens: ☙ *Vi*fratres, oportet impleri Scripturam, quam ꝑdixit Spiritus Sanctus per os Dauid &c oportet

portet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt cō-gregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus &c. teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex *iſtis.*

Quod expendens Chriſoſtomus hom: 3. ſuper Acta Apoſt: tomo 3. inquit. *Quam* eſt feruidus! quám agnoſcit creditum à Chriſto gregem! quàm in hoc choro Princeps eſt! & vbique primus omnium incipit loqui. &c. Quid, an non licebat ipſi Petro eligere? licebat, & quidem maximé: verum id non fecit, ne cui videretur *gratificari.*

Quibus, & ſimilibus Chriſoſtomi ſententijs pro veritate, ac Petri primatu demonſtrando, occurrunt huius temporis Græci: id dictum fuiſſe rhætoricé non theologicè, ſeu encomiaſticè, & ampliatione Rhetorica. Sed huiuſmodi occurſus inanis eſt & inſulſus: quoniam Chriſoſtomus in re huiuſcemodi ad fidei dogmata concernente, non more Rhetorum ſed Theologorum proceſſit. Addo, quid eſt hoc rhetoricè; num falsò, num adulatorie? an veré? omnis propoſitio vel eſt vera, vel falſa, vt Philoſophi norunt. ergo Chriſoſtomus docens Petrum eſſe Apoſtolorum Principem poteſtatem habens ſupremam; verum

vel

falsum dixit: Si verum, habemus intentum; si falsum, hoc impium est enunciare, Virum scilicet tantæ doctrinæ ac Sanctitatis falsò, & adulatorie docuisse. expedit quippe affirmare huiusmodi Grecos talia asserentes, mendaces, & Chrysostomum veracem esse.

Ad illud Act. 6. de Leuitarum electione; quod scilicet ibi Petri primatus non conspiciatur, sed æqualis omnium Apostolorum potestas, pateat: eo quod omnes eque eligant. inepta est huiusmodi istantia. Si Apostoli vbique delegata potestate Episcopos, & Præsbiteros sine Petro ordinabant, vt Scriptura Actorum, & Pauli epistolæ docent, nec hoc Petri primatui contradicit: quid est si omnes simul cum Petro Diaconos ordinandos esse decernant, & ordinent? iam superius diximus, potestatem Petri absolutam, eique ordinariam super omnem Ecclesiam, cæteris Apostolis vbique exequutioni mandandam, delegatam fuisse. poterant ergo Apostoli Diaconos ordinare absque Petri potestatis præiudicio. Etsi Petrus solus id exequi potuisset: coapostolos tamen tunc præsentes admittere in eo munere, magis decuit: eo amplius quia huiusmodi electio Diaconorum ad munus summi Pastoris per se non

pertinebat, & vbi necessitas non erat Primatus potestate vtendi, opus non est vt scriptura omnes actorum exhibeat circumstantias. quę si ibidem adessent, Petri etiam primatus inspiceretur. quod tamen factum esse in electione Matthiæ conspicimus, quia res erat magni momenti, ad Petri primatum conferens; vt superius enatrauimus.

Quarta obiectio. ordinem ministrorum Ecclesiæ recensens Paulus 1. Cor. 12. ait, *Posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos.* ergo si Apostoli sunt suprema membra Ecclesię, erunt omnimodè inter se pares, & æqualis potestatis. quod nisi esset, nos monuisset Paulus, Cepham primúm positum esse, deinde cæteros Apostolos: at ipse nullum inter Apostolos posuit potestatis discrimen, nec quidem vestigium Petri primatus insinuat:

Respondeo Paulum tunc de apostolis ac cęteris fidelibus sermocinari prout Christo supremo ac primario Capiti subordinantur, nō autem de Apostolis vt præfecturæ Petri subijciebantur: ideoque Paulus primatum Cephæ non expresit nec enarrauit; eo quod eo sensu, nempe in ordine ad Christum Dominum, Petri primatum enarrare ineptus fuisset sermo.

quod

quod perſpicuo probatur exemplo. etenim ſi in Regum comitijs de Baronib⁹ fiat ſermo in ordine ad Regem, numquid Baro ille qui in Regno Proregis munus obtinet, Primus nuncupatur? haudquaquam. omnes enim in ordine ad Regem æqué Barones dicũtur. ſic Paulus tũc dona quæ in Eccleſia Saluator diſtribuit ſcribens & quid omnes fuerint in ordine ad Chriſtum differens; non erat locus Petri primatum excipiendi ac aperiendi, quod tamen alibi fecit, vt infra demonſtrabo.

Quod autem Paulus tunc de Apoſtolis & cæteris fidelibus quatenus membra ſunt Criſti ſermonem habuerit, ex ipſo ſcripturæ textu conſtat: ſic enim inquit. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti et membra de membro, et quosdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos secundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* manifeſtum ergo eſt tunc de Apoſtolis in ordine ad Chriſtum Paulum diſceptare, igitur locus non erat aptus pro ſuprema Petri poteſtate excipiẽda ac oſtendenda ſuper Apoſtolos, quia ęqualem ordinẽ habent, vt membra ſunt Chriſti.

Paulus autem Petrum à cęteris excipit Apoſtolis in eadem ad Cor. epiſtola cap 9. cum in-

 quit

quit. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* quid est hæc Petri á cæteris Apostolis exceptio, cum de potestate differitur? quis non videt hic Petri primatum splendescere? Addo, quandocumque Paulus Simonem Petrum, Cepham appellat, tunc primatus eius meminit. quid enim est esse Cephas, nisi Petra Ecclesię, super quam scilicet Ecclesia fundatur, qui nempe locum tenet Christi qui Petra primaria est huius ædificij, vt superius enarrauimus; Et in epist. ad Romanos Petri primatum enarrat Paulus illis verbis cap. 1. *Gratias* ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra ānunciatur in vniuerso *mundo.* quomodo fides Romana prædicabatur ab Apostolis in vniuerso mundo? cur Paulus non dixit, fides Christiana, cur fides Romana? quia nempe ibi Petrus suam posuerat Cathedram, & cum esset Christi Domini generalis Vicarius, & vniuersæ Ecclesiæ Pastor, fides Christi, quæ vbique terrarum ab Apostolis disseminabatur, Romana fides nuncupatur. & huius expositio textus à Tharasio Constantinopolitano Patriarcha tradita est in Concilio generali se-

ſeptimo Act. 3. Patribus Synodi annuentibus vniuerſis. Igitur Paulus loco ab obijciente citato Petri primatus non meminit, quia tunc aptus non erat ſermo, ſed alibi meminit & illum perſpicuè demonſtrauit.

Quinta obiectio. Auguſtinus ſerm. 30. de Diuer. expreſſè docuit, illud Saluatoris dictum Matth 16. *Tibi dabo claues* &c. ad vniuerſam Eccleſiam in Petri perſona dictum fuiſſe: quia omnes Apoſtoli, & Epiſcopi illis vtuntur clauibus: Sic enim ait. ☞ *Petrus* multis ſcripturarum locis apparet quod perſonam geſtet Eccleſiæ; maximé illo in loco vbi dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum. nunquid iſtas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? petrus accepit, & Ioannes, & Iacobus non accepit, & cæteri *Apoſtoli?* ☜ ergo pari modo dicendum, illud *Paſce oues meas* omnibus Apoſtolis, & Epiſcopis dictum fuiſſe, eo magis quia Paulus ad epheſ. 4. docet Chriſtum Dominum dediſſe Eccleſiæ ſuæ *Paſtores, et Doctores*. ergo illud *Paſce oues meas* licet Petro ſingulariter dictum ſit, tamen vt Eccleſię perſonam gerebat dictum fuit. nulla ergo datur in Eccleſia monarchica in Petro, & ſuis hæredibus poteſtas, ſed Ariſtocratica, quia omnes Apoſtoli, &

Epi-

Episcopi parem acceperunt potestatem, quod pariter cæteri Ecclesiæ Patres docuerunt.

Respondeo Augustinum,& cæteros Ecclesiæ Patres manifestè docere Dominum Petro soli potestatem clauium, & pascendi plenissimam contulisse. nam Tertullianus in scorp. inquit. ☞ *Nam* etsi clausum putas cælum, memento claues eius hic Dominum Petro,& per eum Ecclesię reliquisse, *etc.* ☜

Origenes tractatu 6. in Matth. ait. ☞ *Sed* quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis, ideo illi sic quidem dicit, & tibi dabo claues regni *cælorum*. ☜ & in cap. 6. epist. ad Rom. inquit. ☞ *Petro* cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur,& supra ipsum velut terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis *exigitur*. ☜

Hieron. in Matth. cap. 16. ait. ☞ *Prudens* lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem, Beatus es Simon bar Iona, & Tu es Petrus &c. & Tibi dabo claues regni cælorum &c. nunc audiat, Vade retro me *Satana*. ☜ at hoc posterius *Vade retro Satana*, non dicitur õnibus Apostolis, ergo in sentẽtia Hieronymi nec id quod prius dicitur *Tibi dabo claues etc.*

Cyril-

Cyrillus Hierosol. cathech 6. ait *Petrus* enim is erat, qui claues Cœlorum secum ferebat *etc*

August. lib 2. contra 2. Gaudentij epist. capit. 23. ait. *Numquid* melior Razias quam Petrus Apostolus, qui vbi dicit, Tu es Christus filius Dei viui, tam beatus à Domino appellatus est vt claues regni cælorum accipere *mereretur*. & lib. de Pastorib. cap. 13. ait *Multi erant Apostoli, et vni dicitur Pasce oues meas*.

Ambrosius libr. 10. in Lucam in caput 24. inquit. *Puto* autem aliter cælos aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli sumpserimus, quas Domino largiente suscepit. sicut ipse dixit, Tibi dabo claues regni *cælorum*, & in psalmum 43 ait. *Denique* Petrus Ecclesię prępositur, postquam tentatus á diabolo est: ideoque ante significat Dominus quid sit illud, quod postea eum Pastorem elegit Dominici gregis *etc* & serm. 47 ait *Tanquam bonus pastor Petrus tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum*.

Chrisostomus Hom. 55. in Matth. inquit. *Quæ* nam maiora dona videntur quæ Patér, aut quę filius Petro largitus est &c. filius autem

vt

vt cælesti potestate polleret, & claues haberet regni *cælorum.* et homilia 87. in Ioan. ait. *Tanquam* enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit &c. tantum dicit, si amas me, fratrum curam suscipias. &c. Qui omnium Pastor fuit á Domino constitutus &c.

Maximus serm. de Sanct. Apost. Petro, & Paulo ait. *Hic est Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas ouesque commendat etc.*

Gregorius ho. 21. inter. 40. lit. 5. ait *Qua* in re considerandum est, cur omnipotens Deus, eum quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit: quod nimirum magnum actum esse pietatis dispēsatione cognoscimus, vt is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri *debuisset.* Et lib. 4. epist. 76. lit: H. ait. *Ecce* Petrus claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur. Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur *etc.* & paulo antea dixerat, Cunctis Euangelium scientibus liquet quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa *est.*

Et

Et eodem modo hoc idem cæteri Ecclesiæ
atres affirmant, quos breuitatis gratia omitti-
nus, ne Lectorem huiusmodi sententiarum
rolixitate tædio afficiamus. Et quia pro veri-
ate pugnamus, & veritatem propugnamus,
osdem Ecclesię Patres etiam referam asseren-
es hanc Petri potestatem etiam cæteros acce-
isse Apostolos, & deinceps conspiciemus
erum huiuscemodi rei intellectum.

Origenes tractatu 1. in Matth. inquit ☞ *An*
eró soli Petro dantur à Christo claues regni
ælorum, nec alius beatorum quisquam eas
cceptururus est? quod si dictum hoc Tibi dabo
laues regni cęlorũ cęteris quoq. cõmune *est* ☜
ugustinus iam in obiectione quid sentiat,
onspicitur.

Hieron. lib. 1: aduersus Iouinian. ait. ☞ *At*
icis super Petrum fundatur Ecclesia: licet id-
sum in alio loco super omnes Apostolos fiat
cuncti claues Regni cæloru m accipiant, &
æquo super eos Ecclesiæ fortitudo *soli-
etur*. ☜

Ambrosius in Psal. 38, inquit. ☞ *Quod* Pe-
o *di* citur, cęteris Apostolis dicitur, Tibi dabo
aues &c. non potestatem vsurpamus, sed ser-
mus *imperio*. ☜

S. Leo Serm. 3. de sua assumpt. ait. ☞ *Transiuit* in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius cõstitutio *commeauit*. ☜

Theophilac. in Matth. cap. 16. ait. ☞ *licèt* ad Petrum tantùm dictum sit illud, Tibi dabo: tamen omnibus Apostolis olim datum est, quando dixit Quorum remiseritis *&c.* ☜

Euthym. in Matth. cap: 23. ait. ☞ *Tibi* dabo claues &c at qui donum hoc fuit cæterorũ *Apostolorum*. ☜

Beda in Matth. cap. 16. ait. ☞ *Quodcunque* ligaueris &c. Hæc potestas sinè dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter, Accipite Spiritum Sanctum. *etc.* ☜

Quid ergo dicendum? Sanctos Ecclesiæ Patres, viros doctrina, & Sanctitate conspicuos, contradicentia eructare? absit. & Petro, & cæteris datæ sunt claues, & pascendi potestas: quomodo autem vtrumque, & quo iuris discrimine, non vt vaticinantes dicemus, sed theologico ritu ex ipsismet Patribus veritatem aperiemus. Tertullianus loco citato inquit: ☞ *Petro* Dominus claues, & per eum Ecclesiæ reliquit. Ambrosius. Cęlum non aperiemus nisi cla-

si claues Petri *sumpserimus*? quid est hoc vti Petri clauibus, & potestate? nisi quia Dominus Petro claues, & ius pascendi absolutè principaliter, & independenter tribuit: cęteris autem Apostolis, & Ecclesiæ Pastoribus dependenter, subordinatè distribuit.

Vel vtamur terminis, & doctrina Cypriani superius citati lib. de vnit. Ecclesiæ, cùm inquit. *Quomodo multi solis radij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cum de fonte vno plurimi riui defluunt &c. vnitas tamen seruatur in origine*. itaque potestas clauium & ius pascendi, Petro, cæteris Apostolis, & Ecclesiæ ministris datur: distinguo cum Cypriano; Petro tanquam soli: cæteris tanquam radijs qui á Sole descendunt. Petro tanquam radici, & principio: cæteris tamquam ramis qui á radice robur accipiunt. Petro tanquam fonti: cæteris tanquam riuulis, qui à fonte emanant. Igitur Petro datur potestas clauium & pascendi radicaliter, principaliter, absolutè: cæteris dependenter, subordinaté, & secundariò: & hoc est quod superius diximus: nempe Petri potestatem in Ecclesia esse absolutam: Apostolorum autem dele-

gatã: quia Petro cæteri Apostoli subditi fuerũt sicut nunc Petri hæredi Romano Pontifici, omnes Episcopi, & Ecclesiæ presules subijciuntur

Cum autem Augustinus, & cæteri Patres docent Petrum potestatem à Domino accipientem, Ecclesiæ personam tenere: hoc docent: potestatem illi vt Capiti, & summo Pastori traditam: non ita traditam fuisse, vt ipse solus cum hæredibus suis ea vti valeat: sed sicut tẽpore Apostolorũ õnes ea vsi sũt Apostoli sic sequẽti tẽpore ea vtũtur Episcopi ac cæteri Ecclesiarũ Prelules. Sed sicut nunc eo modo vtuntur, vt Petri hæredem Romanum Pontificem Principem habeant: sic tempore Apostolorum, eam habuerunt Apostoli, vt tamen omnes Petro subijcerentur: hic est doctrinæ Sanctorum Patrum verus intellectus. inanis ergo est sequela illa, regimen nempe Ecclesiæ non Monarchicum sed Aristocraticum à Domino sancitum fuisse.

Confirmatur huius veritas responsionis. Augustinus tomo 7. lib. 2. cap. 1. de baptismo inquit. *Puto quod sine vllas sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur quantum attinet ad martyrij gloriam: cæterum magis vereri debeo, ne in Petro contumeliosus*

exi-

existam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? sed etsi distat Cathedrarum gratia: vna est tamen martyrum gloria. Si Petro potestas clauium & pascendi æqué ac alijs data est Apostolis, & Episcopis, & Petro cæteri Apostoli, & Episcopi non subijcerentur; vtramque paritatem tenuisset Augustinus, cathedræ, & martirij: eo vel maximè quia Cyprianus totius Africæ Primas tenebat: at Petro dat Principatum cathedræ: ergo in sententia Augustini, cùm Petrus á Domino clauium, & pascendi potestatem accepit: non eo sensu Petrum Perso, nam Ecclesiæ gessisse dixit, vt æquè omnes illam potestatem acceperint: sed quia non solus ipse illam exequi debuerat, etsi in eo tanquam in capite, & radice existat: sed etiam cęteri, etsi iure subordinato, & cum subiectione ad illum.

Addo. idem Augustinus serm. 27. de Sanctis, & 3. de Petro, & Paulo, tomó 10. ponens discrimen inter vtrumquē ait. *Ambo igitur claues à Domino perceperunt scientiæ iste*, idest Paulus: *ille potentiæ &c.* idest Petrus. Si omnem potestatem, quam Dominus dedit Petro, equé cæteris Apostolis data fuit, quia ipse tunc Ec-

clesiæ

ſiæ perſonam gerebat: cur clauem potentiæ æqué Paulus cum Petro non tenet? cur claues iure potentiæ ſolus obtinet Petrus? hac ſcilicet ratione quia Petro ius clauium, & paſcendi abſolutè, & principaliter, tanquam Capiti, & Principi, & ſummo omnium Paſtori datum fuit: cæteris autem delegatè, & dependenter à Petro, cui omnes ſubijciuntur.

Cum Petrus typus paſtorum dicitur á Patribus: ideo ſic dicitur myſticè, vt dilectionem ac ſolertiam illius teneant cæteri paſtores particularium Eccleſiarum: & exemplum ab eo ſumant, á quo eorum poteſtatis ius deſcendit, tanquam ab eo qui hic in terris Chriſti Domini vices gerit: hoc diſcant catholicæ fidei deſertores.

Sexta obiectio, Turpe eſt, quæ a Patribus encomiaſticé, & Rethorum oratoria ampliatione pro Petro commendando dicta fuerunt ad eum ſenſum trahere, vt cæteris Apoſtolis iniuria afferatur, & monarchica poteſtas per Romanum Epiſcopum exercenda in Eccleſiam intrudatur. & primatus qui Petro datur ratione maturioris ætatis, & quia primus ad Apoſtolatum vocatus fuit ad maiorem ac ſummam poteſtatem talem primatum couuertere

& qui

&qui Dux Apostolorum fuit per similitudinem, in iurisdictione Principem denunciare; & cui ouium cura nomine omnium Apostolorum magis committitur, quia plus Saluatorem dilexit; ita ei commissas deinde affirmare, vt etiam Apostolorum fuerit Pastor.

Respondeo maximam esse hæreticorum, & schismaticorum malitiam ac versutiam, cũque Satanæ sint organa ac ministri, quanta istius sit aduersus Dominum, & aduersus Ecclesiam suam rabies ac furor, cum de cælorum sublimitate illum tumidum ac superbum Altissimus deiecerit, per huiusmodi deprauatoram hominum adinuentiones quas suadente diabolo euomunt luculenter perspicitur:

Examinemus ergo singula, que obijciuntur. primô inquiunt Sanctos Ecclesiæ patres, Petri potestatem primatus, encomiastice & Rhetorum oratoria ampliatione denunciasse. Sed quomodo fieri potest, vt in re tã seria ad principaliora fidei dogmata concernente, Patres impropriè loqui voluerint? Petrum Apostolorum, & totius Ecclesiæ Pastorem, Rectorem Ducem, Principem. præpositum, & præfectũ improprie nuncupare, & proclamare, hoc esset in diuinis rebus ludere, adulari, mentiri, imò

insanire

insanire. Addo, Chrisostomus homilia 3. super Acta Apostolorum tomo 3. ait de Petro coram Apostolis pro duodecimi Apostoli electione disserente, *Quàm est feruidus? quàm agnoscit creditum à Christo gregem? quam in hoc choro Princeps est?* Apostolos, & cæteros fideles, gregem esse sub Petro Pastore pronunciat licet ne in re tam seria improprie loqui, & ampliatione rhetorica? licet ne Ecclesiæ regimẽ quod iuxta illos est aristocraticum, ampliatione rhetorica denunciare Monarchicum; Si aliquis coram Senatu Serenifs. Reip: Venetorũ oraret, & ampliatione Rhetorica suadere conaretur regimen illorum quod est aristocraticum, esse Monarchicum, nonne iustè communi Senatus sententia pena capitis puniretur quia Senatorum adimeret potestatem? non licet ergo ampliatione rhetorica ab vna ad aliam regiminis speciem transire.

Gregorius Nanzianzenus orat. de modo in disp. seru. docet *Petrum Apostolum cæteris Apostolis prælatum esse, quod cæteri Apostoli tranquillo animo tulerunt.* at si omnes essent potestate pares & primatus Petri tantúm ratione maturioris ætatis adesset; quorsum iusta laus cæterorum Apostolorum, quia patienter

tulerunt

tulerunt Petrum seniorem primum nominari, primum loqui, primum sedere? quam patientiam iustè habere dicitur ille qui seniori se primum locum in loquendo vel sedendo habere permittit? laus autem iusta est, quia Apostoli patienter tulerunt Petrum omnium verũ Principem ac Pastorem á Domino fuisse constitutum. o' miserabiles homines, sic dementes estis vt non videatis futiles, in sulsas, ac ineptas esse huiusmodi vestras adinuentiones?

Præterea si Patres Petrum Pastorem Apostolorum & omnium Gentium á Domino sancitum prædicant; nam Cyrillus lib. 12 in Ioann. cap. 64. dicit *Petrum Principem & caput cæterorum*. Theophilactus in Lucam ad caput 22. & ad cap. 21. Ioannis, docet, *totius Orbis ouium Præfecturam Petro Christum commisisse, non autem alijs, sed huic tradidisse: primùm quidem quia omnes præcellebat, & totius cætus os erat &c.*

Damascenus orat: in Transfigurat. inquit *Petrus à Christo factus est totius Ecclesiæ Præses, totius Ecclesiæ clauum suscepit*. Cyprianus docet Petri Cathedram esse *fontem, solem, radicem, cæteros radios, riuulos, ramos, &c.* At hæc Petro exhibita non dicuntur á Patribus eo

quia personam gerebat cæterorum Apostolorum, sed vt vnus erat ex cæteris Apostolis, vt sano Lectori patet: si autem iuxta Patrum sententiam Petrus est Apostolorum, & cæterorum hominum Princeps,& Pastor; quomodo hoc fieri potest similitudine & non potestate? in scenis, in tragedijs hæc fiunt: ibi fingitur aliquando Princeps, qui non est Princeps: numquid Christus in Euangelio confictor tragediarum fuit iuxta sanctorum Patrum sententiam,vt Petrum omnium Pastorem Caput, Rectorem, Principem, Præpositum sinè potestate, sed tantúm impropriè, & similitudine dederit? sed eant huiusmodi hæreticorum ac schismaticorum insaniæ.

Addo: explorata res non est Petrúm Andrea seniorem esse, & primò ad Apostolatum fuisse vocatum. imò Ioan. 1. oppositum legimus sic. *Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: Et respiciens Iesum ambulantem dixit, Ecce agnus Dei. & audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus; & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi vbi habitas? dicit eis: Venite et videte. venerunt, & viderunt vbi maneret, et*

apud

apud eum manserunt die illo. Erat autem Andreas Frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei: inuenimus Messiam: & adduxit eum ad Iesum. intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cæphas. quis non videt primùm Andream ad Apostolatus munus à Domino receptum fuisse cũ quodam altero, cuius nomen Ioannes tunc non exprimit? ergo non ratione prioris vocationis ad Apostolatum, Primatus Petro datur personam omnium Apostolorum gerenti vt ipsi opinantur, quia Andreas prius Petro vocatus fuerat: si ergo hac ratione Petro datur primatus in persona omnium Apostolorum, quia prius vocatus est, Andreæ dari debuisset. at ei non datur, ergo Petro datur, quia Petro illum exhibere Saluatori complacuit: ideoque illum Cepham statuendo, & nuncupando, deinceps primus omnium semper constituitur, etsi non primus in vocatione fuerit.

Fuisse autem Andream etiam Petro ætate anteriorem, docet Epiphanius hæresi. Si & hoc idem probat Baronius Tomo 1. anno 31 num. 23.

M 2 Ad

Ad illud quod postremò in obiectione habetur, Petrum scilicet Vicarium Saluatoris in pascendis ouibus eius constitutum esse cum cæteris Apostolis, sed Petri personam tunc Saluatorem nominasse, quia Petrus plus cæteris Apostolis Christum Dominum diligebat; Dico excogitationem hanc fugam esse decoptorum, & refugium miserorum: Si Petrus etiam Apostolorum Pastor, in omnium Patrum sententia, sancitus fuit, vt superius demonstrauimus, quomodo fieri potest vt illud, *Pasce agnos, & Oues meas*, ad cæteros Apostolos etiam dictum fuerit? præterea ineptum sensum ea Saluatoris verba haberent, si ad omnes Apostolos sermo directus fuisset. exempli gratia. Simon diligis me plus his? plusquam fratres tui Apostoli? & ipso affirmatiuè respondente, deinceps ad omnes Apostolos dixerit, Pasce agnos, & oues meas: quæ nam proportio inter antecedens, & consequens adesset? si maiorem dilectionem à Petro exigit, ergo maiorem potestatem Petro exhibet. Addo, si ita res est, Saluator ad id aptè loquendum, saltem inferre debuisset, pasce cum cæteris Apostolis agnos & oues meas. at antecedens singulare est, & similiter consequens; qua ergo fronte,

ad

ad omnes Christum Dominum fuisse loquutum affirmare licebit? Patres autem docent cæteros Apostolos, & Episcopos hoc ius pascendi habuisse: quia scilicet potestate Petro subordinata, & à Christo Domino per Petrum emanantè hoc idem exequutioni mandarunt: non autem quia Petri potestatem æquè obtinuerunt.

Septima obiectio. Hieronimus lib. 1. contra Pelag. ait. *Vt plato fuit Princeps Philosophorum, ita Petrus fuit Apostolorum.* sed Plato non fuit potestate, & iurisdictione Princeps omnium philosophorum, vt patet, sed tantúm honore, & ordine dignitatis, ergo pari modo Petrus nullã habuit super Apostolos potestatẽ.

Respondeo hunc esse consuetum hæreticorum morem: quædam nempe ex scripturis Sanctis, vel ex Sanctorum Patrum dictis assumere, quæ rem obtenebrare valent: & ea dimittere, quæ sensum ac intellectum perspicuum exhibent. fateor Hieronymum illud dixisse, quod ab obijciente affertur. sed sequentia Hieronimi verba obijciens omisit, quæ hæc sunt. *super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est; quæ nec impetu fluminis nec vlla tempestate concutitur.* sed his verbis omissis,

quæ

quæ Petri ſupremæ poteſtatis euidentiſsimum ex Hieronymo exhibere non videntur teſtimonium. Cúm autem inquit. *Inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Caput hoc de quo Hieronymus loquitur, habuit ne ſupremam ſuper Apoſtolos, & Eccleſiam poteſtatem? ſi habet, vicimus aduerſarium. ſi non habet, quomodo ſchiſmata tollere, & amputare poterit? quomodo litigantes iudicare? quo iure litigantes capitis ſententiam ſequentur, ſi Caput ſuper litigantes non habet poteſtatem? neſcitis quia *Par in parem non habet poteſtatem?* Si Petrus Caput ſupra cæteros poteſtate caret, qua via poterit iure, & verè tollere ſchiſmata? numquid ſola via directiua abſque coerciua? ſed hæc non ſeiunguntur, teste Philoſopho 10. Etic. cap. vlt: quia directiua ſine punitiua eſt inefficax. & inſufficiens. ergo ſi ex Hieronymo Petrus á Domino Caput inter duodecim Apoſtolos conſtitutus fuit ad ſchiſmata Eccleſiæ tollenda, ſuper Apoſtolos, & Eccleſiam omnimodam accepit poteſtatem. hic eſt verus ex Hieronymo rei intellectus. ſed hæreticos ac ſchiſmaticos excæcauit eorum malitia. auferat Dominus malitiam de cordibus eorum.

Præterea

Præterea Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam sic habet. ❧ *Beatitudini* tuæ, idest cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio, & quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat, nec possum Sanctum Domini, tot interiacentibus spatijs, à Sanctimonia tua semper expetere, ideo hic collegas tuos Ægiptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi *est*. ❧ Quibus sententijs docet Hieronymus Petrum solum cum hæredibus suis Caput, Rectorem, Doctorem, & Pastorem esse Ecclesiæ: & Petrum singularem cum hæredibus suis potestatem super cunctos homines obtinuisse. Vanum est ergo Patres, pro hæresibus stibio circumliniendis, afferre: cum hæreses iugulent.

Octaua obiectio. Spiritu Sancto afflante Dauid Psal 44. Apostolos eorumque futuram dignita-

gnitatem prædicens ait, *Constitues eos Principes super omnem terram*. Quæ examinando verba Sancti Ecclesiæ Doctores nos monent, Apostolos vniuersæ Terræ Principes fuisse. ita August. super eundem locum. & Chrisostomus homil. in hunc psal 44, ostendit Apostolos Regibus Terræ potentiores fuisse, quia Romani Persis leges non dederunt, nec Persæ Romanis: Apostoli autem toti Orbi se magistros ac legislatores dederunt. Sed Spiritus Sanctus omnes Apostolos æquè Principes denunciat: ergo contra doctrinam Domini est Petrum solum super cæteros Apostolos & vniuersam Ecclesiam potestatem habentem proclamare.

Respondeo Apostolos vniuersæ Terræ vtique Principes fuisse, & quæ in obiectione narrantur sanam esse doctrinam. at cum infert omnes fuisse Principes eo modo quo Petrus fuit, tunc obiectio claudicat, quia Apostolorum Principatus fuit Petro subordinatus atque subiectus. & Apostolorum principatus in delegata, Petri autem in absoluta potestate fundabatur.

Dices vnde sumitis hanc doctrinam, & potestatis distinctionem? Respondeo, ex sacra Euan-

Euangelij doctrina: & ex Sanctorum Patrum intelligentia. Doctrina Euangelij est: vt omnibus Apostolis simul cum Petro dictum à Saluatore fuerit. *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*. Ioan. 20. *Euntes docete omnes Gentes &c.* Matth. vlt. attamen postquam omnes Apostolatus munus pariter à Domino acceperũt, antequam ad Cælos ascenderet, Petrum á cæteris Apostolis excipit, eique dicit. *Pasce agnos, & oues meas*. cum primum omnes simul Apostolatus dignitatem á Domino obtinuissent, vt etiam aduersarij fatentur: certè Petrum aliquid eximium deinceps super Apostolatum accepisse omnes sani homines affirmabunt.

Quid autem fuerit hoc eximium aliquid; quod Petrus tunc accepit, docent Sancti Ecclesiæ antiqui Patres. sic. Hieronimus libr. 1. contra Iouinianum inquit. *Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio*. Chrisostomus hom. 3. super Acta Apost. tomo 3. de Petro coram Apostolis pro electione Matthiæ disceptante, ait. *Quàm est feruidus? quàm agnoscit creditum à Christo gregem, quàm in hoc choro Princeps est?* docet Petrum Pasto-

rem esse Apostolorum, & gregis Christi. Cæteros Patres omitto, quia sæpe superius hoc idem docentes enumerati fuerunt. fateri & credere igitur aduersarij tenentur, si recté, & iuris uia dissertare voluerint, omnes Apostolos fuisse Principes, sed Petro Capiti subordinatos atque subiectos. seu quod idem est, potestatem principatus Apostolorum fuisse delegatam, Petri autem absolutam.

Si ergo hunc Petri principatum æquo animo ac patienter tolerauerunt Apostoli, vt Gregorius Nanzianzenus supra citatus monet: & vos etiam ó Græci Homines, hunc Petri successoris Primatum æquo animo, & patienter sufferre debetis. mementote quia *quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. 1. Reg. 15. & Prou. 13. *Filius sapiens, doctrina Patris: qui autem illusor est, non audit cùm arguitur*.

Nona obiectio. Romanum Episcopum super vniuersam Ecclesiam potestatem habere dicunt Romani, quia Petrus fuit Christi Vicarius. sed omnes Apostoli fuerunt Christi Vicarij, vt monent sancti Ecclesię Patres, nempe Ambrosius in epist. ad Rom: cap. 3: & in 1. ad Cor. cap. 3. Hugo Etherianus de regressu ani-

animarum cap. 14. Et in præfatione Missæ in festis Apostolorum dicitur, *Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores.* ergo pariter omnes Apostoli hanc acceperunt potestatem: nihil igitur supra cæteros Petrus obtinuit. Præterea, etiam Episcopi post Apostolos dicuntur Christi Vicarij á Patribus, vt docet Chrisostomus hom. 11. in 2. Cor. cap. 5. ergo omnes episcopi idem ius obtinent super ecclesiam, quod Romanus habet.

Respondeo, Romanum Pontificem super vniuersam Ecclesiam potestatem habere, quia Petrus cui succedit, fuit Christi Domini vnus principalis, & generalis Vicarius, itaut potestatem Capitis super cæteros Vicarios habuerit: non autem quia alicuius muneris Ecclesiastici vicariam potestatem exequutus fuerit vt docuit Anselmus super caput. 16. Matth. his verbis. *Eam potestatem quasi vni Petro concessit specialiter, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideo enim eum Principem Apostolorum instituit, vt Ecclesia quasi vnum principalem Vicarium Christi haberet, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent: quoniam si diuersa essent Capita in Ecclesia, vnitatis vinculum rumperetur per diuersa schismata*

& Bernardus de consideratione ad Eugenium lib. 2. cap. 9 ait. *Inde est quod Petrus altera vice, instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni Populo, sed cunctis præesse deberet.*

Sicut ergo Principatus inest Apostolis, sed cum subiectione ad Petrum, vt monuit Hieron. supra citatus: sic Vicarij munus alijs inest. sed non eo modo quo Petro. Et sicut episcopi principatum tenent in Ecclesia, sed subordinatum Petro, sic etiam vicariatum potestatis Saluatoris habent, sed participatum, & Petro subiectum. & hoc sensu Chrisostomus ait. ho. 11. in 2. Cor. cap. 5. ☙ *Itaque* non abs re dicebat. Pro Christo legatione fungimur: idest ac si diceret, Christi vice: nos enim ipsius muneri successimus &c. non enim per filium tantùm suum, sed & per nos quoque qui ipsius muneri Vicarij successimus, *exhortatur* ☚ & hoc eodem sensu loquitur Ambrosius. quis enim negare poterit in omnibus ecclesiasticis muneribus exequendis, Apostolos, & nunc ecclesiæ Præsules, vices Christi tenere, à quo omne ecclesiasticum munus, tanquam á supremo ac primario Principe emanauit? nonne simplices præsbiteri super Altare Domini sacrificium offe-

offerentes tunc temporis vices Christi tenentes nihilominus nullus Græcorum Præsbiteros huiusmodi episcopis non esse subiectos affirmare audebit: eodem ergo modo nemo enunciare audeat omnes ecclesiæ episcopos non esse Romano Pontifici, Petri successori, subiectos, etsi in munere episcopatus exequendo vices gerant Apostolorum, & Saluatoris.

Præterea, Chrisostomus, & cæteri Patres in eorum exequendo munere se Christi Domini vicarios agnoscebant: attamen se Petro, & heredi suo Romano Pontifici subiectos denunciabant: vt pluries in hac eadem disputatione demonstrauimus: & ipse Chrisostomus opere compleuit, cùm Innocentium Romanum pontificem ad sui tutelam, contra Eudoxiam Augustam, & complures Episcopos, tanquam supremum Ecclesiæ Catholicæ Pastorem, & iudicem appellauit igitur ita se denunciabant vicarios Christi, vt vni principali ac generali Christi vicario Petro cum suis hæredibus Romanis Pontificibus se subditos ac subiectos esse scirent. Cùm autem nos Romanum Pontificem Christi Vicarium solùm nominamus: hoc antonomasticè dicimus: quia ipse solus est principalis ac generalis Vicarius, super omnes

eos

eos qui in particularibus exequendis muneribus vices Christi Domini tenent.

Decima obiectio. Omnes Apostoli sunt petra & fundamentum Ecclesię, vt primùm Dauid monuit dicens psal. 86. *fundamenta eius in montibus sanctis* montes autem isti super quos fundatur Ecclesia, sunt Apostoli, vt Sancti Ecclesiæ Patres vnaminiter affirmant. Et Paulus ad Ephes. cap. 2: ait. *Sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei: Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* ergo Ecclesia primó super Christum Dominum principaliter fundatur: secundò super Apostolos, nullo á Paulo inter Apostolos posito discrimine. Præterea si Petrus principaliter esset petra, & fundamentum Ecclesiæ, non Christiani, sed Petriani diceremur.

Respondeo verum esse Ecclesiam fuisse fūdatam eodem modo super Apostolos, quatenus docendo omnes Gentes, fideles ac Christianos eas reddiderunt, quæ corpus, & ædificium Ecclesiæ constituunt. similiter ratione sanæ doctrinæ quam ore, & scriptis tradiderunt; quo sensu Paulus etiam super prophetas fundatam esse dicit. at certe super hos non

alio

alio modo, nisi quia ſpiritu ſancto docente, *qui loquutus eſt per Prophetas*, canonicas nobis exhibuerunt ſcripturas, vt patet. hoc ſenſu Apoſtoli omnes Spiritu Sancto pleni, Euangelicam cum dederint doctrinam, montes Sancti, & fundamenta dicuntur Eccleſiæ: & in hoc munere opus non erat, vt inter Petrum, & cæteros Apoſtolos poneretur diſcrimen. nemo enim catholicorum negat Apoſtolos ſic ſanam Euangelij doctrinam habuiſſe, vt magiſterio Petri non indigerent. expediebat quidem Apoſtolos in Eccleſia prædicatione Euangelica fundanda, ita repletos eſſe ſcientia, ſcripturarum intelligentia, & gratia, vt errare non poſſent; ſed à rebus huiuſcemodi inferre, Petrum in iure regiminis ac poteſtatis Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ non fuiſſe Principem, & caput, non licet: imò ſine hæreſis nota affirmari nequit.

Nonne ſciebant Sancti Patres Eccleſiæ ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiam fuiſſe fundatam? cur tamen Hieronymus lib 1 contra Iouin, dixit *Licèt ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſia fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio?*

Non-

Nonne id nouit Gregorius Nanzianz. & tamen in Orat. de modo in in disput. seru. inquit. *Petrus Apostolus cæteris Apostolis prælatus fuit, quod cæteri Apostoli tranquillo animo tulerunt?*

Et Chrisostomus homil. 87. in Ioan. *Tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit &c qui omnium Pastor fuit à Domino constitutus.*

Et Gregorius homil. 21. inter 40: *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est.* igitur super omnes Apostolos fundatur Ecclesia: quia ipsi euangelica prædicatione ædificauerunt, docuerunt, & ordinauerunt eam: nihilominus omnes Apostoli, & omnis Ecclesia sub regimine Petri constituta fuit: & hoc Petri supremum ius regiminis non tollit quin Apostoli eo modo quem præmisimus fundamenta sint Ecclesiæ. Quod insuper perspicuo exemplo confirmatur. Si duodecim positis fabris, qui æqué aliquod construant ædificium, vnus illorum Rector & Gubernator esset cæterorum à supremo Principe institutus, tunc á nemine illorum ratio ædificatoris tolleretur:

sed

ſed omnes æqué fundatores eiuſdem dicerentur ædificij, vt patet. ſic à ſimili inferre licebit: etſi in Eccleſia, euangelica prædicatione fundanda omnes Apoſtoli idem ius habuerint: tamen ſub vno fuerunt Capite ac Principe cõſtituti, qui Petrus fuit.

Ad illam obiectiunculam quam Philadelphienſis ſubnectit, nempe ſi Petrus præcipuo modo fundamentum eſſet Eccleſię, non Chriſtiani ſed Petriani diceremur; Dico huiuſmodi inſtantiam non á ratione, ſed ab odio, & carnali æmulatione originem ducere: non enim mihi perſuadeo, huiuſmodi hominem, qui tot maledicta in ſuo Opere diſponere, & coaceruare nouit, hanc ſuam obiectionem futilem, & inanem eſſe, non cognouiſſe: ſed vt ſimpliciores deciperet, & paginas pluribus maledictis impleret, eam protulit. Quis ignorat Chriſtum Dominum Eccleſiæ Principem eſſe ſupremum, & Caput abſolutum hominum & Angelorum, & Petrum ſolius militantis Eccleſię illius eſſe Vicarium generalem: ſeu Chriſtum Dominum Regem eſſe, & pro eiuſdem abſentia, ſecundùm naturalem præſentiam; Petrum in Eccleſia militante, Proregem tantùm conſtitutum fuiſſe? quis ergo ſic delirare

audebit, vt Regnicolæ non á Rege, ſed à pro-rege denominationem ſumere debeant? igitur ſtante Petri Primatu in militante Eccleſia, cum ſit Vicaria poteſtas, non Petriani, ſed Chriſtiani denominari debent. Et quia Chriſtiani denominamur, non inde inferre licet, Petrum ſuper Apoſtolos, & vniuerſam Eccleſiam Primatum, & vicariam poteſtatem non accepiſſe

Sed ſubinfert Philadelphienſis, concedimus Petro Primatum honoris, & Ordinis, vt ipſe primó decernat, primus loquatur, primus iudicet, primus ſedeat: at negamus ſuper cæteros cum hæredibus ſuis habere poteſtatem. & huiuſmodi verba ſint.

Vndecima obiectio. Cui Reſpondeo, miſerum eſſe, & inſulſum huiuſmodi occurſum. Quod multipliciter oſtendam. Peto ab illo, & ab omnibus Græcæ Nationis hominibus, qui eandem ſectantur hæreſim, Metropolitæ habent ne Primatum ſuper Epiſcopos ſuæ Prouinciæ? epiſcopi habent ne Primatum ſuper ſimplices Præsbiteros? Patriarchæ habent ne primatum ſuper Metropolitas? vtiq. habent. Peto ſecundò, habent ne Primatum honoris, & ordinis tantùm, vt primi loquantur, primi iudicent, primi ſedeant; an Primatum cum po-

teſtate

teſtate coniunctum? Reſpondebunt, ſi verum fateri voluerint, vt praxis & experientia illarum eccleſiarum docet; non tantùm primatum honoris, & ordinis, ſed poteſtatis habere: quia ita iudicant, vt ſibi ſubordinatos aliquando deponant, ſuſpendant, anathematizent: & cur non pudet, cur non erubeſcitis ò Græci talia opinantes: epiſcopis, Metropolitis, & Patriarchis Primatum cum poteſtate tribuere, & Petro non huiuſmodi, ſed honoris tantùm Primatum exhibere? geminum errorem, duplicem talia aſſerentes patratis culpam: furti, & contumaciæ. á Petri primatu aufertis poteſtatem: & Poteſtati illius inobſequentes eſtis: Apud vos primatum cum poteſtate coniunctum eſſe affirmatis: at cùm omnes Patres, & Synodi, Primatum Petri fatentur ac venerantur Primatum tantúm honoris fuiſſe vel eſſe vultis, non autem poteſtatis. Quid tibi videtur Amice Lector? eorum Præſules Primatum cum poteſtate coniunctum volunt. at cúm Petrus cum hęredibus ac ſucceſſoribus ſuis Primatum habere Patres, & Synodi fatentur, de honoris tantum primatu abſque poteſtate dictum fuiſſe volunt. & eo magis horum malitia fit manifeſta, quia Patres Græci ac Latini,

non tantúm Primatum Petrum habuisse fatentur; sed Apostolorum Principem, Ducem, Prefectum, Propositum Caput extitisse denunciant. attamen Petrum potestatem super cæteros obtinuisse nolunt, velut si tituli sine re existerent & principatus confictus sic esset, vt in Tragedijs fingi solet.

Et quia Sancti Ecclesiæ Patres docent, cæteros Apostolos, & Ecclesiæ Presules Petri potestatem clauium, & pascendi, etiam habere & exequutioni mandare; inferunt omnes æque ius clauium & pascendi obtinuisse cum Petro, nullo addito discrimine. Peto tertió ab illis: simplices Præsbiteri vtuntur ne clauibus Ecclesiæ, cúm à peccatis fideles absoluunt: episcopi habent ne ius pascendi cum Metropolitis & Metropolitę cũ Patriarchis? vtique habent & ipsi hoc negare nequeunt, nam Episcoporum omnium est Pascere: at ego ad hominem contra eos sic arguo. Si quia cæteri Apostoli & Ecclesiæ Præsules habent munus pascendi, & clauibus Ecclesiæ vtuntur, eandem, & omnimodam Petri potestatem habent, & Petro non sunt subiecti ac subditi, ergo quia episcopi ius pascendi, & clauium habent, metropolitis non subijciuntur. ergo quia Metropolitæ

iius

ius pascendi, & clauium habent Patriarchis nõ sunt subditi ac subiecti sed etsi ius clauium & pascendi habeant, tamen vos episcopos Metrapolitis, & Mettopolitas Patriarchis dicitis esse subditos atque subiectos.. ergo etsi cæteri Apostoli, & Ecclesiæ Præsules ius clauium, & pascendi habuerint, Petro tamen subijciuntur.

Sed ad huius rei seriem aperiendam, examinare opus est cur Presbiteri Episcopis, episcopi Metropolitis, & Metropolitę Patriarchis subijciantur, itaut non tantúm honorem abundãtiorem qui præficiuntur habeant, verúm etiam potestatem supet eos exerceant. hoc enim ipsi Apostoli exequutioni mandarunt, quamobrem Christi Domini Sanctionem esse, sani homines affirmabunt. Patet hoc 1. Cor: 6. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* 1. Tim. 5. *Aduersus Præsbiterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* 1. Petri 5: *Pascite qui in vobis est gregem Dei etc.* & Apostolus in Actis cap. 20 *Attendite vobis et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* Neminem autem posse propriè regere

re cæteros ſinè poteſtatis iure,& exercitio,hoc ipſa naturalis ratio docet. at hic regendi ordo qui ab initio in Eccleſia cernitur, eſt ita ordinatus vt Præsbiter ſubijciatur epiſcopo, & epiſcopus Archiepiſcopo,& Archiepiſcopus Apoſtolis, qui illos conſtituebant, & regebant:qua ergo ratione ſic ſtatutum fuit, cur non omnes æquales, & alter alteri non ſubiectus? nempe, quia ſic ratio optimi regiminis præmonſtat. Sicut ergo talis ordinata ſubiectio in eccleſiæ Pręſulibus ab initio adſuit, etſi omnes ius clauium &paſcendi obtinebant, ſic á ſimili, licét omnes Apoſtoli ius clauium,& paſcendi habuerint, tamen Petro erant ſubiecti. & ſicut epiſcopi ſubijciuntur metropolitæ, & Metropolita Patriarchæ: Sic Patriarchæ ſummo Pontifici Petri ſucceſſori.

Sed hæc vltima ſequela tædium ac moleſtiam illis affert: Græci vellent omnes Præſules erga ſibi ſubordinatos exercere poteſtatem,ſed non Petrum cum hæredibus ſuis. tantúm primatum honoris cognoſcentes in eo. Sed miſerabiles homines non aduertunt,quia ſi Petri primatum auferant, omnem Primatum ab eccleſia auferre opus erit: nam ratio quæ ponit primatum cum poteſtate in Patriarchis, me-

tropoli-

tropolitis, & episcopis; ponit eodem modo primatum cum potestate in Petro, & eius successore.

Cur datur Patriarcha? vt in illa Natione Ecclesiæ absque confusione ordinatè regantur, & metropolitæ iudicem habeant. Cur datur metropolita? vt in ea Prouincia Metropolitæ subiecta, Ecclesiæ ordinatè degant, & Episcopi iudicem obtineant. Cur ergo dari non debet Princeps Patriarcharum in Ecclesia, vt Patriarchæ ordinatè viuant, & iudicem habeant?

Occurrunt. habemus Concilia generalia illa Patriarchas iudicabunt. Contra, quis Generalia concilia congregabit, si Patriarchæ inter se non consentiunt, si disceptent ad inuicem? cum plurima Concilia reiecta fuerint, & reijcienda sint, quis iudicabit illud Concilium esse reijciendum, & illud venerandum? si vna Natio aliquid affirmet, & alia Natio illud neget, quis has dirimet lites, & controuersias? O cæci, & duces cæcorũ? si Dominus statuit Præsbiteros esse episcopis subiectos, episcopos metropolitis, metropolitas Patriarchis, & hoc euangelicæ humilitati non repugnat: & hoc, vt ordo habeatur in ecclesia, sancitum fuit. cur

vt

vt ordo habeatur in Ecclesia, non erit in illa venerandus Petrus cum hæredibus suis cum suprema eiusdem super omnes Patriarchas potestate? cur hoc dicitis repugnare Christianæ humilitati: & vestrorum Præsulum præfatorum potestas non repugnat humilitati Christianæ, & Euangelio? O' verè miserabiles homines, & potestatem in terris & salutem animarum in cælis perdidistis.

Sed adhuc occurrunt dicentes. Adsunt principes & Imperatores qui conuocant Concilia, & seditiones auferunt. Sed quomodo & quo iure hoc eis operari licet, potestate, an adhortatione? si adhortatione: hæc non sufficit pro litibus, & controuersijs dirimendis, & eo amplius quia nunc multi adsunt Principes, qui vt experientia docet non idem sentiunt. si potestatė: quo tempore, vbi, à quo, Principes laici hanc obtinuerunt potestatem super ecclesiam?

Principes laici si Christiani sint, oues sunt Christi: ergo ecclesiæ Pastoribus diuino iure subduntur. nam oue nobilior, & præstantior est Pastor.

Secundò, finis potestatis sæcularis est pax ciuilis, & huius sæculi tranquillitas: non autem

tem

tem salus æterna, leges enim ciuiles faciunt bonum ciuem, vt Iurisperiti norunt, & præterea nihil.

Tertiò Principes Christiani multi sunt, nec vnus est qui vbique regnet, vt omnem Ecclesiam congregare & sedare valeat: nam si aliquis Princeps id aggredi voluerit, alter renuet.

Quartò: Si populus Christianus aliquando careret Principibus laicis, vt primis trecentis annis post Christum natum caruit, tunc Ecclesia non haberet viam controuersias dirimendi: & sic regimen Ecclesiæ à Saluatore statutum, esset mancum, & insufficiens.

Quintò 1. parte Concil. Ephesini in epist. Theodosij, & Valentiniani Imperat. habetur, Imperatorum non esse iudicare fidei controuersias, sed ad Ecclesiæ Pastores spectare: hoc idem habetur in quarta Generali Synodo Chalcedonensi.

Sextò, si suprema potestas super Ecclesiam Principibus laicis inesset, ergo primis trecentis annis, vnam speciem regiminis habuisset; & postquam Constantinus Romanorum Imperator totius Orbis, factus est Christianus, alteram reginis speciem tenuisset: & nunc

P quia

quia á multis sæculis Imperator Romanorum non dominatur nisi in aliquibus regnis particularibus, cum multi adsint Principes Imperatori non subiecti, aliam regiminis formam obtineret. & quis non videt huiusmodi differendi modum insanum, impium ac rude existere? & nisi in causa fidei esset hæc disceptatio, talis, opinatio ridicula, scurrilis esset, & fabolica.

Præterea quis sensatus non intelligit hanc opinionem, iniquam esse inimicorum Petri adinuentionem? nolunt primatum Petri venerari & deinde Primatum laicorum Principum assumunt: dummodo Petrum, & hæredes suos Romanos Pontifices abijciant: libenter quoscumque alios Primates recipiunt. suscipiant autem nunc Græci Maumethicos Principes in huiusmodi insaniæ pœnam:

Duodecima Obiectio. Saluator noster Matth, 23, Apostolos alloquens, inquit. *Vos autem nolite vocari Rabbi; vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cælis est &c.* at non dixit omnes vos fratres estis, & Petrus est Dominus. ergo Apostoli æqualem sortiti sunt

pote-

potestatem, nec Petrus cæterorum fuit Princeps, Caput, Rector, & Dux. &c.

Respondeo hanc obiectionem ex multiplici capite falsam esse. primó quia omnes Patres tam Grecos, quàm Latinos arguit, qui Petro tales dederunt titulos ac inscriptiones, & illis nominibus eum appellauerunt. Secundò omnes Græcos, & huius, & præteriti temporis reprehendit, quia eorum Episcopi Patres, & Magistri nominantur, & illorum Patriarchæ, Patres Patrum, & Patriarchæ Oecumenici, idest vniuersales, quod erroneum est, dicuntur: Tertiò arguit Apostolum seipsum Magistrũ Gentium nuncupantem in Epist. 2. ad Tim. c. 1. & in Epist. 1. ad Tim. inquit Episcopum Doctorem esse debere. Quartò, reprehendit omnem *Christi Ecclesiam*, quæ in Synodis congregata consimilia nomina distribuit.

Hinc patet Philadelphiensem tanto furore & ira aduersus Petri primatum insurrexisse, vt nesciat de quibus affirmat; & more cæcorum in Petrum, qui petra á Saluatore dicitur, offendere. Itaque, vt omnium, quos impiè arguit, causam patrocinemur, sensum verborum Domini scrutabimur; & hoc modo omnes á calumnijs ac contumelijs vindicabimus.

Crimen scribarum,& Phariseorum aperiens Saluator Matth.23. ait. *Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus; dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias: amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in sinagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* arguit ergo eos hipocrisis, superbiæ, ac inanis gloriæ: fastum enim, & pompam ostentabant, & potestate Ecclesiastica abutebantur. at non negat potestatem Cathedræ ac Magisterij: nec docet illis non esse parendum. imò vtrumque expresse fatetur. dixerat enim. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisei: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate et facite.* abusum igitur potestatis, & Magisterij arguit, at potestatem, & magisterium non aufert. Sensum enim Saluatoris nostri Paulus optimé nouit, qui pompam,& fastum abijciens Potestatis ac magisterij, ipsum tamen magisteriũ,& potestatẽ retinuit, dicẽs in epis. 2. ad Tim c. 1. *Positus sum ego prædicator, et Apostolus, & Magister Gentium.* & 2. cor. 10. *Nam etsi àmplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus etc.* & 2. Cor. 13 *Vt non præsens durius agam, secundum potestatem*

tem quam dedit mihi Dominus &c. & in 1 ad Tim.4. *Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat.* & cap.5. *Aduersus Præsbiterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus*, & in 1.Cor.6.*Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?*

Ad illud, quo aduersus nos vrget Philadelphiensis, scilicet. *Omnes vos fratres estis*: & non addidit Saluator, sed Petrus est Dominus. respondeo, additionem illam tunc ad rem non facere: quia tunc fastum, & pompam intendebat abijcere, non autem munera distribuere, Sicut ergo tunc potestatem, & magisterium damnare videtur, & tamen pompam magisterij, & potestatis solùm damnat, Sic Petri primatum non reijcit, etsi dicat *omnes vos fratres estis*. patet hoc á simili Eccl.1.32. Spiritus Sanctus ait. *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis sicut vnus ex ipsis*. hoc in loco Rectorem, & potestatem habentem alloquitur, cui tamen fratris formam cum cæteris tenere suadet: nec tamen in suasione hac Rectoris potestatem negat, & aufert. Petrus ergo etsi Apostolorum, & vniuersæ Ecclesiæ Princeps designatus esset, illum monet, vt fratris for-

mam

mam cum cæteris teneat, poteſtatem tamen Principis non aufert ab illo.

Præterea hanc exceptionem iam ſe aliquando actu facturum promiſerat dicens, Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*. & Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*. opus ergo non erat, vt ſingulis diebus hoc idem, vt ita dicam, iterare debuerit. tandem aſcenſurus ad cælos, Petrum à cæteris excipiendo Apoſtolis dixit. *Paſce agnos, & oues meas*. Cum autem dixit, *Omnes vos fratres eſtis*, cæteris Apoſtolis æqualitatem poteſtatis inſinuauit, abſque Phariſaico faſtu exercendam, & Petro fratris formam cum cæteris Apoſtolis, ſed cum Rectoris poteſtate tenendam, præcepit, vt ſuperius diximus.

Veteres Eccleſiæ Patres, quos pluries ſupra citauimus, ſenſum Saluatoris noſtri percipientes, Petri ſupremam in Eccleſia poteſtatem cognoſcentes, eum Principem, Caput, Ducem, Rectorem, Præpoſitum Apoſtolorum nuncupauerunt, non ampliatione rethorum, more Phariſeorum; ſed verè, realiter á parte rei Principem, Caput &c. dixerunt: & huiuſmodi tituli ac inſcriptiones ei qui non eſt poteſtate Princeps, ſed tantúm ordine maturioris ætatis primus, non competunt, vt ſanis patet. &

nisi

nisi tantùm fastum pharisaicum tunc Saluator ab Ecclesiæ ministris auferre intenderet, sed omnem primatum, ac Primatus titulos; Sancti Ecclesiæ Patres ac Synodi, Petrum Principem, Ducem, Caput, Præpositum, Pastorem fratrum curam habentem &c. non dixissent: nam Saluatoris doctrinam non seruare, nefas esse, optimè nouerant.

Decima tertia obiectio. Dicunt Romani, Petrum tunc Apostolorum Principem fuisse constitutum, cúm ei Saluator dixit, Pasce agnos & oues meas: sed illud Petro dixit, vt sciret peccatum negationis illi fuisse condonatum, & primum locum inter cæteros Pastores ei dedit, ad virtutem pœnitentiæ commendandam, non fecit autem illum Principem Pastorum, quod docent Patres, dicentes triplicem fecisse Dominum interrogationem, vt triplici negationi occurreret.

Respondeo, Philadelphiensem malitiæ vel ingnorantię notam per hæc quę obijcit vitare non posse. etenim Patres omnes, vt pluries demostrauimus Petrum omnium Pastorum Pastorem illis verbis constitutum fuisse manifestè fatentur. & ratio hoc infert: quia Apostolos vna cum Petro Saluator iam instituerat,

atque in eo munere perfecerat per ea quæ prius dixerat. *ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos. aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c. euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium &c.* attamen poſt hęc prius quam ad Cœlos aſcenderet, Petrum à cæteris excipit Apoſtolis, eique dicit *diligis me plus his? Paſce agnos & oues meas:* ergo tunc aliquid ei contulit ſuper Apoſtolos: & aliquid, quod Apoſtoli à Domino non receperunt.

Patres autem triplicem illam interrogationem myſticè exponentes, aiunt, triplici negationi Saluatorem occurriſſe, vt ſuperius etiam diximus: at non affirmant, Petro Dominum dixiſſe *Paſce agnos & oues meas*, vt negationi occurreret, ſed quia voluit fratrum curam ei committere, & Principem, Caput, Ducem, Propoſitum, & Rectorem Eccleſiæ inſtitueret, hæc ſunt Patrum verba & ſententiæ, quas ſupra retulimus.

Ad illud, quod primum locum ei dedit inter Apoſtolos vt virtutem pœnitentiæ commendaret, quia peccatum ſuum fleuit. hæc in quam futilis & inanis eſt excogitatio: nam nō dicit ei: Pœnitet te negaſſe me, Paſce agnos &

oues

oues meas. Addo: Thomas Apostolus negauit resurrectionem eius, & consequenter illius diuinitatem: sed deinde pœnituit, & credidit: cur non Thomam primùm instituit? vel saltem hac eadem ratione dedisset ei locum secũdum, si iste ordo primi, & secundi sine aliqua potestate tanti fieri debet, vt sit stipendium pœnitentię, iusta arguentium ineptias.

Præterea, iam illum Apostolum cum cæteris prius instituerat, & confirmauerat per ea quæ superius enarraui: nonne illud fuit euidens coram omnibus signum, quia illi iam culpa negationis dimissa fuerat? pudeat ergo Philadelphiensem hæc inania excogitare, vt Petri primatum deijciat: quem tamen huiusmodi obiectunculis magis perspicuum reddit.

Quartadecima obiectio. Dicunt Romani Petrum confirmare posse cæteros Apostolos, & Papam cæteros Patriarchas, quia Saluator Petro dixit. *Ego rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Sed non est hic illorum verborum sensus. nam Dominus rogauit singulariter pro Petro, ne periret sicut Iudas, sed peccatum suum fleret. nec opus fuit vt Petrus Apostolos

confirmaret, quia Spiritus ſanctus eos docuit, ſolidauit, confirmauit, itaut errare non poſſent: ergo nihil peculiare tunc Petro datum fuit, vt poteſtatem ſuper cæteros haberet.

Reſpondeo, primariam rationem, qua Petrus Apoſtolos, & Romanus Pontifex Patriarchas reggere debet, hanc eſſe: quia Petrus omnium à Domino conſtitutus eſt Paſtor, Ioan. cap. vlt. eique principaliter claues ſuper Eccleſiam traditæ fuerunt: & ipſe ſingulariter cum hæredibus ſuis eſt Eccleſię petra ac fundamentum, etſi vicaria poteſtate, quia ipſe ſolus á Saluatore dictus eſt cephas ſeu petra: ſicut ipſe ſolus inter Apoſtolos hoc nomen petræ retinuit. Cum autem ei dixit. *Ego rogaui pro te* &c. Luc. 22. hoc idem munus Petro tributum ſignificaſſe dicimus. nam Apoſtolos etſi á Spiritu Sancto edoctos, ac confirmatos, ſibi ſubiectos habuit: ideoque Paulus ad Gal. capit. 1. ſcribit ſe Ieroſolimam iuiſſe videre Petrum: & cap. 2. ſubdit ſe Petro, & alijs Apoſtolis contuliſſe Euangelium quod prædicabat. *ne in vanum curreret aut cucurriſſet*. & Tertullianus lib. 4 in Marcionem. S. Hieronymus epiſt. 86 ad Auguſt, quæ eſt 11. inter epiſtolas Auguſtini tomo 2. & Auguſtinus lib. 28; contra Fa-

uſtum

ustum aperté docent Ecclesiam Paulo non fuisse credituram, nisi Euangelium quod prędicabat, à Petro confirmatum fuisset. Si ergo Paulus à Spiritu Sancto confirmatus ac edoctus contulit cum Petro, & cæteris Apostolis Euãgelium quod prædicabat, ne in vanum curreret: multo magis Patriarchæ á Petri successore confirmari debent, quia ipse Petri ordinariam, & absolutam, & cęterorum Apostolorum delegatam potestatem hęreditauit; qua ratione Romana Cathedra sedes dicitur Apostolica: & Patriarchæ non sunt à Spiritu Sancto confirmati, vt fuerunt Apostoli.

Præterea, Sancti Ecclesię Patres hoc docuerunt: nec nos vt somniantes aut vaticinantes loquimur. Theophilactus ad caput 22. Lucæ Christum Petro ad hunc modum loquentem inducit. *Quia te habeo vt Principem Apostolorum, postquam negato me fleueris, confirma fratres tuos, hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.* August. in quęst, vet. & noui testamenti. q. 75. ait.

Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam: manifestum est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. semper enim

in Præpoſito populus aut laudatur, aut corripitur. S. Leo ſerm. 3. de ann. die aſſ. ſuæ ad Pontificatum inquit *Pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit*. S. Bernardus epiſt. 190. ad Innoc. Papam ait. *Cui enim alteri aliquando dictum eſt. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſore exigitur. & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſsime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis, in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis, et ſedem: ſi veſtra admonitione, corda in fide fluctuantia confirmatis: ſi veſtra auctoritate conteritis fidei corruptores*. Gregorius Nanzianzenus in carmine de vita ſua, ante medium, inquit. *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Vrbem quæ toti Orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere*. an non eſt hoc ſecundum Gregorium confirmare fratres? B. Petrus Rauennas in epiſt. ad Eutychetem Archimandritam in quarta generali Synodo damnatum eum hortatur, vt Romano Epiſcopo obediat, *quoniam*, inquit: *Beatus Petrus qui in*
pro-

propria sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. nos enim pro studio pacis, & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus &c. cęteros Ecclesię Patres breuitatis gratia omitto

Sed Philadelphiensis contra quem disputamus, vel ignorauit horum Patrum doctrinam, vel malitiosè ignorare dissimulauit. quidquid horum sit impietatis ac hęreticæ prauitatis notam, vitare nequit. Pudeat ergo qui putat se esse Ecclesię Pręsulē hæc ignorare, vel horū ignorātiā ad suāipsius, & aliorū perditionē dissimulare

Quintadecima obiectio. Quomodo fieri potest vt Petro, & hæredibus suis dictum à Saluatore fuerit. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Si plures Romani Episcopi à fide defecerunt? Marcellinus idolis thus obtulit. Liberius Papa Athanasij partes non suscepit, sed ad Arrianorum sententiam transiuit. Honorius vt Monothelita damnatus fuit á Synodo sexta Ioannes 22. á Synodo Constantiensi fuit iudicatus ac reiectus, & plures alij Romanorum Episcopi. qui ergo potest fieri hæreticus, & plures eorum de facto tales fuerunt, potest ne iustè ius habere cæteras Ec-

clesias

clesias confirmandi? nequaquam: sed ad vniuersam Ecclesiam hoc pertinere munus in Synodis, affirmare debemus.

Respondeo, Romanam Petri Cathedram nunquam docendo errasse. & hoc Tomo 1. de Ecclesia, & secundo de Appellationibus fusé probaui: nec ea quæ tunc diximus iterare opus est. De Honorio quòd a sexta Synodo damnatus fuerit vt monothelita, tomo 2. de Appellationibus ostendi Græcorum fuisse calumniam ac imposturam. nam Photius Romanæ Ecclesiæ hostis acerrimus, Acta sextæ Synodi recensens, hoc tamen mendacium de Honorio non est ausus proferre: si autem Honorius damnatus tunc fuisset, certè Photius id non tacuisset. Quod autem factum est in Concilio Constantiensi, illud Concilium legentibus patet: nam tunc ex tribus qui summi Pontificis munus assumpserant, nemo certò sciebat quis verus esset Pontifex: quamobrem Ecclesia in Vrbe Constantiæ patrocinió Imperatoris congregata est: & vt illi tres qui Pontifices dicebantur, iuri quod in Pontificatu tenere dicebant renunciarēt actum est. quod cum Ioannes exequutioni mandasset, noctu sinè Concilij consensu discessit. quod Patres ægre ferentes senten-

ſententiam contra eum tulerunt, tanquam multorum criminum patratorem. at tunc Pōtifex non erat: quia iuri ſuo ſponte renunciauerat. ergo hoc nobis obijcere, ad rem non facit.

Liberium autem fuiſſe Arrianum, impium eſt mendacium: cùm vt tomo. 1. diximus cauſa tunc eſſet circa Athanaſium; at non circa doctrinam quam Athanaſius tuebatur. Marcellinum autem timore tormentorum, quæ tunc Roma Chriſtianis inferebat, thus idolis dediſſe fatemur: at pœnitentia ductus ceſsit Pontificali muneri coram Synodo cilicio indutus: ſed à Synodi Patribus audiuit. *Tuo te ore iudica: quia prima ſedes à nemine iudicatur* ad Vrbem rediit, fidem Chriſti ſumma conſtantia confeſſus eſt: & martyr occubuit. tunc autem cùm idolis thus adhibuit, cathedra non docuit: non enim tunc docebat nec fidei controuerſias dirimebat; nec in ſua ıbertate eo tempore ſuit: ſed timore coactus ıd operatus eſt: quod autem fit coactè, nullum ıus inducit. Addo: fuit hic caſus Marcellini vt particularis hominis, non vt docentis ex Cahedra. Papa enim vt particularis, Sacerdotem confeſſarium habet: nec tamen tunc Papa, ex

hedra

cathedra, simplicis præsbiteri absoluentis à peccatis iurisdictioni subiacet. vanum ergo est Marcellini casum nobis obijcere.

Hoc sciat Philadelphiensis, & qui suas tuentur partes: Romanam Petri Cathedram in sua libera potestate, & ex munere Cahedræ iudicantem nunquam errasse: Qui oppositum dicunt vel scripserunt, vel hæretica malitia hoc eructarunt, vel vt parum in rebus fidei versati imò indocti, & in historica nuda loquacitate experti, quæ facta sunt, & quæ acciderunt distinctè non tradiderunt.

Præterea, Philadelphiensis inquit, tutius esse ad Synodorum doctrinam nos accedere debere: & ad Synodos spectare docere Ecclesiam: sed ipse vel parum versatus in doctrina Patrum suorum, vel à propria excœcatus malitia, non perpendit quæ Gregorius Nanzianzenus in Epistola ad Procopium scripsit. ibi autem ita loquitur. *Ego si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem, & incrementum habuerit*. Hoc dixit Nanzianzenus, quia ea vixit ætate, quæ fuit inter primum, &

secun-

secundum Generale Concilium: quo tempore plurimæ Synodi habitæ sunt, quæ ob multitudinem Episcoporum hæreticorum, qui Arrianorum partes tuebantur, non nisi hæreses in Synodis concludebant: vt fuerunt Synodi Seleuciensis, Tirensis, Ariminensis, Mediolanensis &c. cum igitur eo tempore á Procopio nomine Imperatoris ad quoddam Concilium Gregorius vocaretur, ea quæ superius narrauimus, enunciauit. Et Basilius, qui eodem floruit tempore, epist. 52. ad Athanasium inquit, sibi impossibile videri vt eo tempore legitimum potuerit celebrari Concilium: ideoque ad Romanum Pontificem scribendum esse, vt sua auctoritate Acta Concilij Ariminẽsis irritaret, atque cassaret.

Ergo veteres Græcorũ Patres, ad Romanã Petri cathedrã spectare Ecclesiam docere, non autem ad Synodos, affirmabant. fatemur autẽ Cõcilia legitimé cõgregata, Ecclesiã posse docere: at tũc legitimé cõgregata dicimus, & tunc Ecclesiã docere posse, affirmamus, cùm à Romana Petri cathedra robur, ac firmitatem habent: quibus remotis, illius generis sunt Concilia, quæ Grægorius, & Basilius nuper citati respuebant, & irritanda, atque cassanda pronũciabant.

ciabant. Videtis iam, ò huius temporis Græci, quomodo à Patrum vestrorum aberratis institutis. sed carnalis æmulatio vos incautos reddidit.

Decimasexta obiectio. Vbi inuenerunt Romani, Papam debere cæteros confirmare Patriarchas? num in Euangelio? num in Concilijs? bené potest confirmare Patriarchas Venetorum, & Aquileiensem ab ipso institutos: cæteros autem nequaquam. In Actibus Apostolorum inuenimus Silam, & Iudam confirmasse fratres in Antiochia. & orta controuersia de fide, & lege Act. 15. Synodus congregata est: & non tantùm Petrus decreuit, sed omnes Apostoli, & Seniores: & literæ quas Synodus dedit, non dicebant Petrus præcipit, sed Apostoli, & seniores. & Paulus & Barnabas missi sunt á Synodo, & non à Petro, vt habetur ibidem. Ioannes epistolis suis confirmauit Ecclesias Asiæ. similiter Iacobus Apostolus, imó Ignatius Antiochenus Episcopus suis epistolis multas confirmauit Ecclesias. & Chrisostomus inquit, Paulum etsi Apostolorum minimum, omnes confirmasse Ecclesias. ergo nō fuit solius Petri munus cæteros confirmare: nec nunc temporis Papæ munus proprium est

cæteros

cæteros confirmare Patriarchas, vel Præsules illis subiectos.

Respondeo, Philadelphiensem ex modo hoc arguendi, hæreticorum morem exactè sectari. est autem hæreticorum institutum, omnia coaceruare, quæ catholicam veritatem aliquo modo obnubilare videntur: nec tamen quæ obijciunt perpendunt: nec animaduertunt an sint sibi contradicentia: an sint ineptiæ, vel imposturæ. hoc autem in præsenti obiectione conspicuè cernitur, vt sano Lectori patet. expendamus ergo singula, quæ obijcit.

Petit primó, vbi Romani inuenerint Papā cæteros debere confirmare Patriarchas, num in Euangelio? num in Concilijs? Respondeo vtrobique nos id habere. in Euangelio hoc perspicuè cernitur: nam Petrus est Princeps, Caput, præpositus, ac supremus Pastor Apostolorum, & totius Ecclesiæ: Ioan. 1. Matt, 16. Lucæ 22. & Ioann. cap. vlt. sic semper intellexerunt ab initio Ecclesiæ Patres tam Latini, quàm Græci, vt hucusque demonstrauimus. ad Principem autem spectat confirmare sibi subiectos, & ad Pastorem omnes oues suas curare pertinet, cùm Græci oues Christi fue-

runt, á Petro per suos hæredes Romanos Pontifices confirmati sunt, vt in solutione quartadecimę obiectionis demonstrauimus. cùm autem Græci à Christi ouili exierunt, & tetrum, suadente Photio, fixerunt schisma, tunc confirmari renuerunt.

In Concilijs etiam hæc constat veritas: & pro veritate hac demonstranda Tomum de Appellationibus omnium Ecclesiarum ad Romanam Sancti Petri Cathedram in lucem edidimus. quamobrem plura, quæ in eo Tomo exhibuimus pro hac ostendenda veritate, opus non est iterare. Hoc vnum tamen pro nunc testimonium afferre sufficiat. Asoluta Synodo generali quarta, nempe Chalcedonensi, quia Patres Græci, qui Synodo adfuerant, instante Anatholio Episcopo Constantinopolitano, ordinationes Metropolitarum Asiæ, Ponti, & Thraciæ, ad Episcopum Cõstantinop. spectare decreuerant, etsi Leonis Papæ legati renuerent: idem Leo super huiuscemodi rem ad Martianum Augustum literas misit, in quibus hæc dicta leguntur. *Cum secundùm sua consecrationis auctores eius initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo*

fuerant

fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus, quæ illum modestum magis, quàm immoderatum facere debuerunt &c. satis sit prædicto quò vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit. non dedignetur Ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem &c. Constat ergo Constantinop. Patriarcham assensu Romani Pontificis olim eligi solere. & ōnes Patriarchę antiquitus fidei professionē emittebant, & per legatos Romanum Pontificem de omnibus, quæ fiebant, & in eorum electione accidissent, certum reddebant: eumque vt supremum Ecclesiæ Iudicem, & data occasione, appellabant.

Ad illud, quod secundó obijcitur, scilicet, Silam, & Iudam confirmasse fratres in Antiochia, nihil ad rē cōferre dicimus. Sic enim Act. 15. legitur *Apostoli,* & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem. Quoniam audiuimus quia quidam ex vobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo &c. Misimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipsi vobis

verbis

verbis referent eadem &c. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine, tradiderunt epistolam: Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & *confirmauerunt* ☞ Apostoli ergo Silam, & Iudam miserunt, vt ea quæ in ea controuersia decreuerant, aperirent: & epistolam secum tulerunt, & coram omnibus legerunt. quidquid ergo fecerunt, vt Apostolorum nuncii operati sunt: & exinde cum essent Prophetæ, idest Doctores, & concionatores, concione sic eos instruxerunt, vt stabiles in fide permanserint. sed hoc non facit ad rem: quia aliud est docendo reddere auditores in fide firmos: & aliud potestatem habere desideranti, potestatem tribuere: hoc Romani Pontifices tribuunt Patriarchis: illud prius ab omnibus concionatoribus confertur: & id contulerunt Iudas, & Silas. Præterea, si potestate tunc operabantur, Apostolica auctoritate vtebantur: & hoc Romanus Pontifex sæpe exequitur: nam per Legatos suos potest etiam confirmare Patriarchas & cætera similia exequi. Nihil itaque aduersus nos habent hęc quæ de Iuda, & Sila nobis obijciuntur

ciuntur: nam non propria poteſtate vſi ſunt, ſed Apoſtolorum iure, quorum fuerunt Legati.

Ad id quod in obiectione ſequitur. quod orta ſcilicet controuerſia de fide, et lege, Synodus congregata eſt: & non tantúm Petrus decreuit, ſed omnes Apoſtoli, & ſeniores: & literę quas synodus dedit, non dicebant Petrus præcipit, ſed omnes Apoſtoli, & ſeniores. & Paulus & Barnabas miſsi ſunt á synodo, & nõ à Petro. Dico, in hoc Apoſtolorum Concilio Petri Primatum conſpicuum eſſe. ſic enim Act. 15. legitur. ☞ *Conueneruntque* Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum euangelij & credere &c. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? &c. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum, narrantes quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per *eos*. ☜ Iacobus deinde Petri ſententiam ſequutus eſt. & legem Moyſis non

eſſe

esse amplius seruandam sancitum fuit. quomodo poterat Petri Primatus aptius exprimi? ipse enim primus loquitur, & statuit: & silētio ōnes annuerūt: Quod perpēdens Hieronymus epist. ij. inter Epistolas Augustini tomo 2. inquit, *Tacuit omnis multitudo & in sententiam Petri Iacobus Apostolus, & omnes simul Praesbiteri transierunt.*

Et licèt literæ quas Apostolorum hæc synodus dedit, hanc habeant inscriptionem. *Apostoli, & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutē.* & Petri nomen non excipiatur, nec primo loco ponatur. hoc Petri primatui non officit: quia fidelibus ostendi hæc veritas de cessatione legalium debebat, nomine omnium Apostolorum, qui à Christo Domino, & à Spiritu sancto totius orbis magistri fuerant constituti, etsi sub regimine Petri. Resolutio igitur quęstionis communem petebat talium Magistrorum sententiam: quæ vt omnibus esset magis accepta, nomine omnium Apostolorum promulgabatur: priuilegium autem hoc de infallibili magisterio, quod Apostoli habuerunt, causa extitit, vt aliquando Petri primatus non excipiatur: at hoc priuilegium solus Petri hæres

rer Romanus Pontifex post Apostolorum o-bitum obtinet: quia ipse solus Generali Apostolorum potestati succedit, vt in disputatione sequenti patebit. nihilominus Petri primatus notus omnibus erat, & ab omnibus venerabatur: ideoque primus loquitur, proponit, primus statuit ac decernit. & hoc etiam in õnibus Ecclesiæ Synodis constat; Papa, vel eius legati æquè cum Episcopis decreta Synodorum subscribunt: attamen Papę primatus omnibus est manifestus: quia tunc communis sẽtentia, & commune iudicium, illius controuersiæ definitiuum, palam fieri debet: ideo epistola communiter nomine omnium promulgatur.

Et hac eadem ratione Paulus, & Barnabas missi sunt á Synodo Apostolorum: quia omnium sententiam ac iudicium ferre debebant: & eo modo quo Petrus primatum super Apostolos habebat: sic Barnabas, & Paulus ab Apostolis missi, præcipuè à Petro missi dicendi sunt.

Addo, quód Sacri Scriptores potius factum & opus enarrant, quám ritum, & formam in operando habitam, vt in lectione Sacrarum scripturarum versatis patet, etsi ergo Petrus

alijs adhuc circumstatijs suum in hoc opere primatum patefecerit: Lucas qui opus, & non operis ritum enarrare intendebat, ea omittere potuit: eo vel maximè quia Petri primatum palam fecerat principium Synodi enarrando.

Ad illud quod postremò in obiectione habetur, Ioannem scilicet confirmasse epistolis suis Asiæ Ecclesias, & hoc idem fecisse Paulum & Ignatium Antiochenum Episcopum: his verbis Philadelphiensis aperit imperitiam suam: aliud enim est doctrina confirmare fratres, eo modo quo concionatores, auditores firmant in fide ac mandatorum Dei obseruãtia: aliud est confirmare fratres errantes, fraterna, & charitatiua correptione: & aliud est hoc idem operari auctoritate, & potestate: Apostoli quia Petri supremam quam habuit potestatem absolutam, vt eis delegata vtebantur, Ecclesias doctrina, auctoritate, ac potestate confirmabant. Episcopi vnius Diæcesis ex motiuo charitatis possunt, cæteros Episcopos, & oues illis subiectas monitionibus firmare, vt in fide, & diuinæ legis custodia perseuerent, quod Ignatius Antiochenus Episcopus operatus est, scribens ad Magnesianos, & alios,

dum

dum iret, vel Romam, martirij causa, iturus erat. at Petri hæredes Romani Pontifices, quia absolutam obtinent potestatem super vniuersam Ecclesiam, & eam delegatam potestatem, qua vsi sũt Apostoli, ipsi tãtũ retinẽt, illud potestate operantur. Vanum ergo est affirmare, hoc munus fratres confirmandi, æquè in omnibus Ecclesiæ Præsulibus reperiri: nam nisi modum fratres confirmandi distinguant aduersarij, etiam laicos hoc obtinere munus dicendum esset. cum Saluator dixerit Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum*. sed quia sequitur *Dic Ecclesiæ*. docet Ecclesiam diuerso iure homines corrigere posse, ab eo quo laici, & cæteri iure fraternitatis illud operari tenentur.

Dicat Philadelphiensis, oues in sua diæcesi, eodem iure ipse cum suis Præsbiteris concionatoribus confirmat, vel diuerso? non eodem iure respondet, quia Episcopus potestatem habet in sua Dięcesi, non autem Præsbiter concionator. Peto secundò, Episcopus in sua Dięcesi, & Metropolita in sua Prouincia vtique habet potestatem fratres confirmandi: habetne eodem modo ius confirmandi fratres in

aliena Diœcesi vel Prouincia? minimé dicet Philadelphiensis: quia id Canones Nicæni & Sardicenses prohibent: nec volo vt in mea Diœcesi vel Prouincia alter Episcopus, vel Metropolita Pastoris munus exequatur. ergo ius confirmandi necessariò distinguendum erit: alio igitur iure Ignatius Antiochenam confirmabat Ecclesiam, & alio cæteras Diœceses: & alio iure Petrus cum hæredibus suis Romanis Pontificibus. ineptum est ergo quod in sua obiectione infert: & reuera nescire ostendit de quibus affirmat.

Decima septima obiectio. Petrus mittitur ab Apostolis in Samariam, vt Acta Apostolorum cap. 8. enarrant, ergo non erat Princeps Apostolorum, sed æqualem cũ cæteris obtinebat potestatem: non enim licet inferioribus ac subiectis mittere superiorem & Primatem. Acta autem sic habent. *Cum autem audißent Apostoli, qui erant Ierosolimis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cum venißent orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum Sanctum.*

Respondeo hanc obiectionem sic concludere. Consiliarij mittunt Imperatorem ad bellum: quia pro salute regni magis expedit: ergo Consi-

Consiliarij æqualem habent cum Imperatore potestatem: equidem inepté. Duplex ergo est missio, consultiua, & præceptiua, seu potestatiua. Petrus ab Apostolis mittitur in Samariam consultiua missione, non autem præceptiua. Peto à Philadelphiensi, cúm Act 15. orta est Antiochiæ controuersia, an Gentes Euangelio obedientes circumcidi deberent: omnis multitudo fidelium statuit, vt Paulus, & Barnabas ascenderent ad Apostolos in Hierusalem super hac quæstione; numquid illa multitudo maior fuit auctoritate ac potestate Paulo, & Barnaba eo quia misit illos? haudquaquam: quis sic delirabit vnquam, vt Paulo Apostolo fideles qui tunc Antiochiæ erant maiores fuisse affirmet? & Iosuæ 22. Cum filij Ruben, & filij Manasse altare construxissent iuxta Iordanem *infinitæ magnitudinis: quod cum audissent filij Israel, et ad eos certi nuntij detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad et dimidiæ tribus Manassæ altare in terra Chanaan super Iordanis tumulos contra filios Israel: conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent et dimicarent contra eos. et interim miserunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, et decem Principes cum eo, singulis*

los de singulis tribubus etc. quæro ab aduersarijs, cúm multitudo Israelitarum, qui ad præliandum parati erant, misit Phinees summum Sacerdotem, & decem Principes, num multitudo illa maioris erat dignitatis summo Sacerdote, & decem illis Principibus? minimè. ergo nõ sẽper mittẽs maior est misso; igitur missio quãdoque est cõsultiua, nõ autem præceptiua. Apostoli enim Petrum eorum Caput ac Pastorem miserunt consultiuè in Samariam, quæ nuper Christi Domini fidem susceperat, vt magis ac magis Samaritani in fide firmarentur & ea quę ibi disponenda erãt ab illorum Principe Petro constituerentur: sic enim magis expediebat.

Decima octaua obiectio. Barnabas, & cæteri fideles Act.4. vendebant agros, & afferebant pretium ante pedes Apostolorum: non docet autem scriptura ante pedes Petri pretium eos attulisse: ergo non Primatus Petri super Apostolos, sed omnium Apostolorum æqualis potestas significatur ac demonstratur.

Respondeo, opus non esse vt Sacri scriptores singulis in rebus Petri primatum super Apostolos innuant: ratio est, quia omnes Apostoli Petri absoluta potestate, vt illis delegata

vte-

vtebantur: & hoc vt eodem tempore Ecclesiam vbique terrarum commodè fundare valerent: cum ergo á Saluatore nostro illud susceperint munus, etsi Petro subordinatum, vt in actionibus magis serijs dignoscitur, motiuum esse non debet Aduersarijs Petri primatum deprimendi, si aliquando ab Apostolis vel coram Apostolis aliquid operatum fuerit, absque eo quod Petrus tanquam Princeps excipiatur. Apostoli deinceps vt cap. 6. legitur, septem elegerunt Diaconos, vt in rebus huiuscemodi ministri essent, & Apostoli in Gentium conuersione expeditiores essent: numquid si hoc pretium agrorum quod ad pedes Apostolorum allatum fuit, ad pedes Diaconorum allatum esset, etiam Diaconi Petro Apostolo æquales fuissent? minimè. ergo quia ad pedes omnium Apostolorum exhibitum fuit, omnes Petro Apostolorum Principi in absoluta regiminis potestate æquales enunciare non licet, Si semper sacri scriptores sic Apostolos æquarent, vt nunquam Petrum exciperent, & Petri primatum non ostenderent, hic Syllogizandi modus aliquid inferret: at in potioribus actionibus Petrum Principem, & omnium Apostolorum Pastorem, & Caput prædicant:

vt ſuperius enarrauimus: parum ergo refert ſi in actibus quibuſdam omnes pari modo Apoſtoli denuncientur operantes, vel adfuiſſe. Præterea in hoc etiam quod obijcitur, Petri ſuper Apoſtolos primatus euidenter oſtenditur. nam poſt ea quæ obijciuntur, vt cap. 5. legitur, *Ananias cum vxore ſua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri conſciâ vxore ſua, & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri &c. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit &c.* Hic ad pedes omnium Apoſtolorũ pretium agri attulit: attamen fraudem illius ſolus Petrus iudicauit atque puniuit: nonne etiam in re huiuſcemodi Petri primatus conſpicuè cernitur? audi ſolius Petri iudicium atque ſententiam. *Dixit autem ei Petrus: dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis? at illa dixit etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium: & efferent te: confeſtim cecidit ante pedes eius, et expirauit.* ex his, duo accipiant Aduerſarij: Petri ſuper Apoſtolos, & omnem

Eccle-

Ecclesiam primatum, & potestatem: & propriam damnationem, quia Deo, qui Petro primatum tribuit, fraudulenter resistunt.

Decima nona obiectio. Dicunt Romani Papam super omnes Reges, & Principes laicos Principem esse: at in Scripturis Sanctis oppositum legitur. nam B. V. & Ioseph Cæsari præcipienti, vt describeretur vniuersus Orbis, obedientiam præstiterunt: vt legitur Luc. 2. Si ergo Beata Virgo, & Ioseph obediunt Cæsari, cur non Romanus Episcopus? Præterea Christus Dominus Cesari subditus fuit, quia tributum Cęsari soluit, Matth. 17. & Pontio Pilato se fecit subiectum, & Paulus ad Rom: cap. 12. omnibus pręcipit vt Principi obediant: ergo Papa non est supra Principes laicos, sed illis subditus atque subiectus. & illud Lucæ 22. *Ecce duo gladÿs hic*, intelligi debet de gladio temporali, quo Reges vtuntur: de quo Paulus ad Romanos ait cap. 12. *non enim sinè causa gladium portat*. & de gladio spirituali quo vtitur Ecclesia, *qui est verbum Dei*, quod gladius spiritus dicitur ab Apostolo ad ephes 6. *Vt per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus*

T

nibus sanctis &c. hic est gladius quem habet Ecclesia. errat ergo Papa cum alio vtitur gladio.

Respondeo, experientia constare, omnes qui á Petri Romana Cathedra abierunt, non tantùm hęreticos fieri, sed omnium hæresum euadere fœtidam sentinam. Impius iste Philadelphiensis, contra quem disceptamus, non tantùm in Opere suo, Petri, & Romani Pontificis potestatem deijcere molitur, ex hoc capite, quia scilicet Apostoli æqualem omnimodè habuerunt potestatem, sed aduersus Ecclesiæ vniuersæ potestatem tandem insurgens, ius euangelizandi tantúm habere cum ministerio Sacramentorum probare nititur: & Patrum Græcorum doctrinæ oblitus, in profundum omnium sordidarum hæresum sic se demersit, vt omnem Ecclesiæ abijciat iurisdictionem.

Hæc autem omnia quæ obijcit, tomo 1. lib. 4. disput. 4. & alibi, reiecimus: attamen quædam subnectam, quibus Lectori, prout ad hanc attinet disputationem satisfacere debemus. Beatissimam Virginem, & Sanctum Ioseph fuisse Cæsari tunc imperanti subditos, gratis pro nunc concedo: ergo etiam summus Pontifex: inanis & falsa est huiuscemodi sequela

quela : nam in ſanctitate, dignitate, ac excellẽtia honoris, B. V. quæ mater Dei fuit, Angelos & homines excedit. Sed Petrus cum hæredibus ſuis poteſtate omnes ſuperat, quia vices tenet Chriſti Domini, cui *data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Matth. vlt. Petrus enim paſtor eſt omnium Chriſtianorũ, & omnis Princeps, ſi Chriſtianus fuerit, eſt Petro ſubiectus, vt ouis Paſtori ſuo, & Principes ethnici ſicut Euangelio credere tenentur, ſic Petro ſubditi eſſe ſeu fieri debent: hanc enim obligationem habent, & Euangelio credendi, & Petro obediendi.

Ad illud quod ſecundò obijcit, Chriſtum Dominum ſcilicet tributum Cæſari exhibuiſſe, reſpondeo ipſum Saluatorem noſtrum docuiſſe nec ſe, nec Petrum ſoluendi Cæſari tributum fuiſſe debitorem. nam Matth. 17. ſic legitur. *Et cum veniſſet Ieſus Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei. Magiſter veſter non ſoluit didrachma? ait: etiam. et cum intraſſet in domũ preuenit eum Ieſus dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? à filijs ſuis; an ab alienis. et ille dixit ab alienis, dixit illi Ieſus. Ergo liberi ſun*

filij, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eũ piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, et te. quis non intelligit Saluatorem nostrum tributum dedisse ad euitandum scandalum, & tumultum, ne scilicet ministri Cæsaris opinarentur se Regnum illud temporale assumere voluisse? qua occasione remota, docet, se & Petrum soluere non teneri: igitur secundum iura non tenebatur. res est euidens.

Nec Pontio Romano Præsidi fuisse subditum neque subiectum, ex his quæ nuper diximus constat. quid enim est tributum soluere non teneri: nisi subditum non esse? omnis enim subditus tributum suo Principi illud petenti debet. quod insuper patet per ea quę Saluator eidem dixit. *Non haberes in me vllam potestatem, si tibi datum non esset desuper.* enim verò si Pilatus ordinariam potestatem super Christum Dominum habuisset, sicut super cæteros Iudeos habebat, talia verba proferre opus non esset: fuit autem id desuper datum Præsidi permissiué, vt Redemptionis opus impleret: qua occasione remota, nullã super eũ potestatem habuisset, vt ipse Dominus noster fate-

tur

tur: dũ immunis est à debito soluendi tributũ.

Paulus Apostolus in epist ad Rom. cap. 12. cúm inquit. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ad laicos sermonem dirigit. nam dato opposito, doctrinam Saluatoris Matt: 17, nuper allatam solueret, & sibimet contradiceret dicenti 1. Tim. 5. tribunal Cleri esse apud Episcopum: *Aduersus Præsbiterum accusationem noli recipère nisi sub duobus aut tribus testibus*. & 1. Cor. 6. Potestatem suam nulli subiectam enunciat, dicens. ☞ *An* nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt, & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad *iudicandum*. ☜ & reuera Apostolus exprimit euidenter Potestatem Apostolicam, & ministrorum Ecclesiæ, omni laicorũ Pri ncipũ potestate excelsiorẽ esse. Pudeat ergo Philadelphiensẽ imperitię, vel malitiæ sue: etenim dum Romani Pontificis potestatem oppugnat, & Sacrarum Scripturarum imperitum, & variarum hæresum conspurcatum, seipsum aperit.

Ad

Ad illud, *Ecce duo gladij hic.* Lucæ. 22. Asserit Philadelphiensis duos esse gladios, materialem primum, quo Principes laici vtuntur; & spiritualem alterum, quo vti debet Ecclesia. sed reuera hac disserendi forma rudem se habuisse intellectum ostendit; nec enim ad maledicendum methodum peritorum habet. loquitur ergo Dominus Apostolis, cùm ait: ☞ *Quando* misi vos sinè sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter, & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium &c. at illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hic. at ille dixit eis, satis *est* ☜ vterque hic gladius Apostolorum est, qui per te materialis est primus, & qui spiritualis secundus. vtrumque ergo gladium Petrus habet, primum pro capite plectendis, vel comburendis hæreticis: secundúm verò pro euangelica veritate annuncianda,

Paulus autem dum inquit ad Ephes. 6. gladium Spiritus esse verbum Dei &c. de certamine, quod fideles aduersus Satanam habent, disserit; & non ad excludendam ab Ecclesia potestatem gladij ea scripsit. & quod ita sit, en citatæ scripturæ textus. ☞ *Induite* vos armaturam

turam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnē,& sāguinē,ſed aduerſus Principes,& Poteſtates, aduerſus mūdi rectores tenebrarū harū, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturā Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in ōnibus perfecti ſtare &c. in omnibus ſumentes ſcutum ſidei, in quo poſsitis ōnia tela nequiſsimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu &c. ☞ quamobrem hæc Philadelphienſis obiectuncula ſic concludit. Paulus docet nos aduerſus Satanam gladio Spiritus qui eſt verbum Dei, certare debere: Ergo Eccleſia non habet niſi huiuſmodi gladium. vel ſic: Eccleſia aduerſus Satanam vti debet gladio Spiritus, ergo aduerſus homines malos nō habet materialem gladium: quid ineptius? Etenim Eccleſię ſupremus Paſtor præcipuè, vtrūque gladium habet, & materialem, quo Petrus vſus eſt, Ananiam, & Saphiram ſolo verbo imperans, occidendo, vt Act. 5. legitur. & ſupra enarrauimus: nec obſtat quod ſinè ferro illos morte damnauit, ideoque ius gladij Petrū
non

non habuisset dicendum sit: quia mors corporalis ibi attendenda est, quæ ordinarié gladio infertur, & cæteris materialibus instrumẽtis: Petrus autem ad digniorem suæ potestatis ostensionem, verbo, non orationis deprecatiuæ ad Deum, sed comminatiuo, & imperatiuo eos tanquam supremus Ecclesiæ Princeps occidit; vt ex ipso textu patet. habet autem Ecclesia etiam spiritualem gladium, at hic gladius per remotam metaphoram dicitur verbũ Dei, quod per Ecclesiasticos prædicatores auditoribus exhibetur: per proximam autem metaphoram est censura, quæ triplex est; excommunicatio, suspensio, & interdictum, & similia. Sed ex hoc disceptandi ritu, quem habet Philadelphiensis, hæreticum, non autẽ Theologum se esse patefacit.

Homo ergo iste, postquam, varijs argumẽtis æqualitatem potestatis in Apostolis inferentibus, contra Petri primatum insurrexit; Capite vltimo Operis sui, septem improperia aduersus Romanũ Pontificem exponit: & multorum criminum eum grauiter insimulat, quę tamen ad septem capita reuocat: Primum, quia dicit se esse Deum in Terris. secundum, quia cùm pœnitentes ad Sacerdotem, pro peccatorum

rum absolutione accedunt, præcipit absoluentibus vt eos primúm interrogent an credant in Pontificem. Tertium, quia docet se non posse esse hæreticum. Quartum, eo quòd asserat se super Concilia, & Sanctos Ecclesiæ Patres potestatem habere. Quintum, quia turpiter super pedes crucem gestare audet. Sextum, quod sedens sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumat. Septimum, quia affirmat, hæc & similia sibi competere, quia Petrus Romæ obijt.

Quoad primum, ostendere nititur Pontificem similem esse Lucifero, qui appetijt æqualitatem Dei; & Euę, cuí á Demone dictum fuit *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum* Gen. 3. subdit verò, Romanos in re huiuscemodi excusationem assumere, quia scilicet eo sensu Pontificem Deum nuncupant, quo Moysi exod. 1. dictum fuit, *Ecce ego constitui te Deum Pharaonis*. nec tamen hoc licere subdit quia etsi Moysi hoc á Domino dictum sit, nihilominus, nec Populus Israel aliquando Moysem Deum vocauit, nec Moyses sic appellari præcepit. & addit tandem: Si Papa est Deus in terris, præcipiat Terræ vt germinet herbam, & venti, & mari vt quiescant &c.

V Quoad

Quoad ſecundum, inquit abominabile eſſe, vt quod Deo ſoli competit, homini tribuatur, Deo, & in Deum quippe credendum eſſe, non autem Papæ: & Pœnitentem à Sacerdote circa fidei articulos, qui in Symbolo recenſentur, examinandum eſſe, non autem, an credat in Papam.

Quoad tertium, aſſerit pernicioſum eſſe errorem, opinari Papam non poſſe fieri hæreticum: quia omnis homo mendax Pſal. 115. patet exemplo Petri qui Chriſtum negauit, & á Paulo Gal. cap. 2. repræhenſus eſt. & aliorum Romanorum Epiſcoporum, qui vt hæretici damnati fuerunt, vt Liberius, Honorius, & Ioannes viges. ſecundus. Sergius, inquit, Romanus Papa, homo ferus extitit: quia alterius Pontificis cadauer è ſepulcro extraxit, & in Tiberim proiecit: ergo Papa quodcumque crimen patrare poteſt, Et Paulus Apoſtolus à Spiritu Sancto edoctus ac confirmatus, cum alijs voluit Euangelium conferre, ne erraret; eo magis Papa, inquit, errare poterit.

Quoad quartum, ait, nullo modo Papam eſſe ſuper Concilia: nec oppoſitum doceri á Patribus, nec à Sacris Scriptoribus, nec ab ipſis Concilijs. citat Canonem Apoſtolorum præcipien-

cipientem vt in rebus publicis vniuersa conuocetur Ecclesia. & in Actis subdit cap 8. legitur Petrus missus á Synodo. & Sinodos Romanos Pontifices damnasse constat.

Quoad quintum, rem illicitam esse ostendit, crucem super pedes gestare, cum sancti Ecclesię Patres Crucis signum maximè venerandum esse doceant,& á Regibus ac Principibus super Caput teneatur.

Quoad sextum, turpe esse dicit Romanum Episcopum sedentem sumere Corpus Domini in sacrificiò Missæ. etsi id operatur vt Cænam Saluatoris in oppido Emmaus cum duobus discipulis inchoatam commemoret, hanc inquit inefficacem excusationem esse, quia Christus Deus est, Papa autem homo viator & peccator.

Quoad septimum crimen; euidentem addit esse errorem, vt Romanus Episcopus tantam sibi assumat potestatem, eo quia Petrus Romę martirij lauream obtinuit; cum pretiosior ac dignior sit sanguis Christi, sanguine Petri Apostoli: quamobrem, hac ratione potius Episcopo Hierusalem hac vti potestate, contingeret:

Priusquam hæc obiecta refellamus, dicimus

Philadelphienſem, aut hæc eructaſſe, quia ſibi vera ac digna aſſerta viſa ſunt: vel vt Græcorum Nationem deciperet, & contra Romanum Pontificem iram, & odium excitaret atque foueret. ſi primum, inſcium, ac rudem, ſe eſſe demonſtrat. Si ſecundum, ſceleſtum ac peſsimum hominem patefacit. de quo prou. 6. legitur, *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo &c. prauo corde machinatur malum: & omni tempore iurgia ſeminat. huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam. deteſtatur autem eum Dominus, qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

Ad caput primum. Apud quem? quo in loco legit Romanum Pontificem docuiſſe, vel decreuiſſe vt à fidelib⁹ Deus in Terris nuncupetur? vocat autem ſe ſeruum ſeruorum Dei, & in Actis Eccleſiæ ſolemnibus, docet ac dicit, ſe vniuerſę Eccleſiæ eſſe Epiſcopum, & Paſtorem, ac Iudicem. Synodorum autem Patres æquè iurè, ac meritó dixerunt Romanum Pontificem Cuſtodem eſſe fidei, qui omnium Eccleſiarum curam gerit, cui synodus obedire tenetur: & Caput Eccleſiæ, vt in tertia generali synodo Epheſina legitur. Iudicem

Con-

Conciliorum & Ecclesiæ vt Act. 1. Concilij generalis quarti patet. Archiepiscopum Apostolicæ sedis, Act. 2. Conciliorum Præsidentem & vniuersalem Archiepiscopum, Patriarcham, & Papam., Act. 3. & 6. Restitutorem Episcoporum proprijs sedibus in Orientis Prouinciis, act. 8. & 9. ac 10 Caput Ecclesiæ, cui à Saluatore vineæ custodia commissa est, cui corpus Ecclesiæ vnire contingit. Patrem respectu Episcoporum in Synodis existentium, qui illius *filii* dicuntur: & qui rogatur vt Acta synodi confirmet: in epist. synodali eiusdem Concilij Chalcedonensis ad s. Leonem Papam. Quæ similiter in pluribus synodis legũtur. nec ista rhetoricè. & encomiasticè dicta fuerunt, vt ineptè, & apostaticè quidam opinantur: quia non tantùm fuerunt dicta, sed facta, & exequutioni mandata; vt in Actis Cõciliorum constat: & hoc iure illi contingit, velit nolit satanas cum omnibus schismaticis suis. nam à Christo Domino generalis Vicarius, & vniuersæ Ecclesiæ Pastor fuit constitutus, & huic iuri renunciare nequit, dum sedem retinet Petri: & hoc in præsenti disputatione euidenter demonstrauimus. sed quod sit Deus in Terris, nullibi à Romano Ponti-

fice

fice sancitum nec vſurpatum legitur.

Fateor Conſtantinum Auguſtum, qui inter Romanos Cæſares primò ſub Crucis vexillo ſolemniter militauit, & Iuriſperitos quoſdam, id pro Romano Pontifice denunciaſſe: at ſenſus illorum fuit, Romanum Pontificem in terris vices tenere Chriſti, qui verus homo, & verus Deus eſt: & poteſtatem illius ſuper vniuerſam Eccleſiam obtinere, & exequutioni mandare: non autem quòd ſit Deus qui poſſit Tærrę præcipere, vt germinet herbam, & mari ac ventis, vt quieſcant.

Cùm autem Luciferi, & primorum parentum crimen Pontifici obijcit: dico in re huiuſcemodi Philadelphienſem morem meretricum ſequutum eſſe: quæ ſi aliquando cum honeſtis mulieribus altercationem aſſumant, illico meretriciam infamiam illis obijciunt, formidantes ne illis id iure exprobent: quis enim Luciferi, & primorum parentum ſectati ſunt crimina, niſi Græci ſchiſmati? (excipicio tamen viros illius Nationis probos atque catholicos) enimuero Luciferi, & primorum parentum præcipuum crimen, inordinatus propriæ excellentiæ appetitus fuit; & inobedientia cum apoſtaſia. illud conſũmauit peccatũ. Græci autem

tem

tem Primatum Petri & Romanorum Pontificum appetentes in Ecclesia, contra Nicænos canones,& sedis Apostolicæ potestatem ac voluntatem, Episcopum Bizantinum, qui sub Heracleensi Paræcia semper fuit, primò super Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum extollere voluerunt .& postmodum, quod nõ tantúm operari, sed & cogitare nefas est, æqualem Romano Pontifici constituere voluerunt: & quia Romani Pontifices restiterunt, inobedientes, & apostatæ ab Apostolica sede abierunt. quis nam Luciferi, & primorum parẽtum crimina imitati sunt, summus Pontifex, an Episcopus Bizantinus?

Cur non animaduertitis, cur perpendere negligitis saltem tertiam, & quartam generales Synodos, in quibus Romanus Pontifex Caput dicitur Ecclesiæ vniuersalis, & Synodorum? quomodo poterat fieri Episcopus Bizantinus æqualis Papę, vt duo Ecclesia obtineret Capita? nimis reuera excæcat cor hominis ambitio. Vos, vt optimè noui, Romanis obijcere soletis, ecclesiam à nobis fieri meretricem, quia duo capita illi damus & duos sponsos: Christum Dominum scilicet, & Romanum uontificem; sed hic obijciendi modus vel ex

nimia

nimia inſcitia, vel ex turpi malitia ortum ducit: nam Chriſtum Dominum ſcimus triumphantis ac militantis Eccleſiæ Caput eſſe principale, abſolutum, nulli Creaturæ ſubordinatum: Papam autem Caput Vicarium ſubordinatum, & Chriſto Domino ſubiectum. nec quia Regnum ob Regis abſentiam, habet Proregem, tenet ideo duos Reges: quia Prorex ſubordinatus eſt Regi: nec tale regimen eſt meretricium, quia duos habet Rectores, quia primum eſt abſolutum, & alterum ſubſtitutum, vt ſanis patet, ſic á ſimili, Eccleſia non dicitur duo habere eodem modo Capita, quia Regem Chriſtum. & proregem Petrum cum hęredibus ſuis obtinet. quia primum eſt abſolutum, poſterius eſt Vicarium.

At vos Græci homines hunc cõmiſiſtis errorem, cùm Epiſcopum Bizantinum Romano Pontifici ęquare tentaſtis, & apoſtaticè hoc rectè factum ſuſtinetis. ſic enim eſt in Eccleſia duo conſtituere capita. quis ſanæ mentis, & ambitionis expers, nõ nouit ex hac veſtræ carnalis æmulationis ſentina, totius Eccleſiæ commotionem ortam fuiſſe? quis non nouit Deum propterea iratũ, õnem Græcorũ Nationẽ exterminaſſe? *Aſſur virga furoris mei.* Iſai 10.

Oc-

Occurritis huic instantiç, asserentes, Deum aduersum vos minimé iratum esse: quia primis trecentis annis, vniuersi fideles sub virga Ethnicorum Principum fuerunt, attamen olim Christiani à Deo fuerunt præ cæteris dilecti: sed dico, Cçsares tunc Christianos persequutos fuisse, qui fortes permanentes in fide, martyrij lauream obtinebant: & numerus credentium augebatur ipso martyrij exemplo, & spiritu sãcto inspirante, contestante Deo Christianæ fidei veritatem signis, prodigijs & portentis: at Grçcorum nationem nunc temporis non ita persequuntur Ethnici Principes vt fidẽ Christianam auferre moliantur: sed Græci sponte legẽ dimittunt Euangelicam, & per singulos dies ad sectam Maumethicam diuertunt, itaut in pluribus Græcorum Prouincijs, præcipuæ minoris Asiæ, vt ipse vidi, vix Christianæ fidei vestigia supersint. vbi martyres? vbi Christianæ fidei prædicatio? vbi fidelium augmentatio? vbi Theologorum scholç, vt homines instruantur, qui parati esse debent *ad reddendam rationẽ de ea quæ in nobis est fide?* O'terque quaterque miserabiles homines? ob luciferianum crimen episcopi Bizantini, & carnalem vestræ Nationis æmulationem, iratus

Deus abſtulit á vobis catholicæ fidei candelabrum, & ſub duro Maumetico flagello vos cõſtituit. quod mihi maximè diſplicet: *Deus qui diues eſt in miſericordia, & diſperſiones Iſraelis congregat*, omnia in priſtinum decorem reuocare dignetur.

Ad caput ſecundum: ex hac obijciendi forma, in diuinis ſcripturis expertus, & in controuerſijs exercitatus optimè diſcernit, Philadelphienſem & cæteros eiuſdem opinationis Græcos, omnium hæreticorum obtinuiſſe inſtituta: ira enim & odium in Romanum Pontificem eos compulit, vt libros lutheranorum & Caluinistarum & conſimilium hæreticorum aſſumerẽt, vt plurima inde aduerſus ſummum Pontificem acciperent maledicta, & vulpinam hęreticorum fraudem apprænhenderẽt; vt ſcilicet mendacijs & calumnijs aduesſus veritatem etiam inſurgendo, ſuorum lectores librorum contra veritatem odioſos amplius redderent, & Romanæ Pccleſiæ infenſiores parerent hoſtês. O inauditam ſceleritatem! Græcæ Nationis homines, apud quos olim tanta viguit ſanctitas, doctrina, & bonarum artium diſciplina, ad tantam deſcenderunt turpitudinem, vt præfatorum hæreticorum inſanias ſe

ctari

ctari voluerint,qui non tantúm Romanorum sed omnem Græcorum fidem etiam oppugnant: nam ordinem Hierarchicum Ecclesiæ Præsulum, Sanctum Missæ Sacrificium, bonorum operum necessitatem, numerum, & efficaciam Sacramentorum, ieiuniorum meritũ, cultum sanctorum, venerabilem Eucharistiã, Regularium vota ac laudabilẽ statum, & cætera similia, quæ semper Græcorum credidit Ecclesia euertere quærunt: attamen illorum complectuntur libros, ex hoc tantúm capite, quia illos socios obtinent ad summum Pontificem ma edicendum. Neronis matrem aliquando dixisse scribunt: occidat, dummodo regnet. Sic nunc temporis Græci aiunt. Maledicamus Papæ, & tota pereat fides, & Patrum nostrorum doctrina. quis sic delirauit vnquam?

Ad id ergo quod obijcit dicimus, turpem esse calumniam, nempe Romanæ Ecclesiæ Præsbiteros pœnitentes examinare teneri, an credant in Papam: quo in volumine vel Papæ sãctione hoc legitur? quis Doctor Catholicus hoc vnquam docuit vel scripsit?

Debent autem sacerdotes examinare pœnitentes, an integram habeant Christianam & catholicam fidem: Dogma autem fidei est &

in Symbolo fidei continetur, cùm dicitur *credo vnam, sanctam, catholicam & Apostolicam Ecclesiam* Petrum cum successoribus suis Pastorem ac supremum Patrem esse vniuersæ Ecclesiæ; cuius sacras leges, fideles õnes seruare tenentur. quamobrem prudens sacerdos, inter cæteros fidei articulos, hunc etiam pœnitenti commemorare debet: & hoc laudabiliter exequitur. qui enim Petri & successoris sui potestatem non veneratur, hæreticus est & schismaticus: sacerdos verò qui curam gerit animarum prospicere tenetur, ne fideles fiant hęretici vel schismatici: attamen hoc de Petri potestate dogma sic à sacerdotibus examinatur, vt non omittant primùm cęteros fidei articulos proponere Pœnitentibus: impia autem fraus est affirmare catholicos sacerdotes sic de Pontificis potestate curam tunc gerere, vt cæteros ac principaliores fidei articulos proponere contemnant.

Nec tamen catholici sacerdotes docent in Papam credendum esse, velut in Deum: sed Deo credendum esse, qui Petro & successoribus dixit matth. 19 *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælo &c. Pasce agnos & oues meas.*

Ad

Ad caput tertium. Impius Philadelphienſis non tantúm Græcorum ſchiſmatis, ſed Lutheranorũ & Caluiniſtarum patrocinator arguit catholicos docentes Romanum Pontificem hæreticum fieri non poſſe, quia ſcriptum eſt, *omnis homo mendax*: qua obiectione omnem catholicam fidem euertere nititur: nam eodem modo mendaces denunciare debet Euangeliſtas, & Apoſtolos, & Synodos, etiam vniuerſales Eccleſiæ: nam illi homines fuerunt: igitur de fidei articulis à Synodis explicatis, de his quæ tradiderunt Apoſtoli & Euangeliſtæ, dubitare liceret: hæc & ſimilia aduerſus Chriſtianam fidem, tantúm Atheiſtæ obijcere ſolent: & licet qui hæc proponunt argumenta Græci dicantur vel Caluiniſtæ, ſeù Lutherani, attamen, nec Chriſtiani ſut, nec aliquid credunt de his quæ fuerũt á Chriſto Domino reuelata, & ab Apoſtolis promulgata.

Quamobrem reſpondeo Apoſtolos, Euangeliſtas, generales ac legitimas Synodos, & Romanum Pontificem, cùm docet Eccleſiam, errare non poſſe, & ſi homines ſint: quia Spiritus Sanctus ſic illis aſsiſtit, vt integram Chriſtianam, & Catholicam Fidem vſque ad conſũmationem ſæculi in Orbe conſeruet, prout Domi-

Dominus ipse in vtroque testamento pollicitus fuit: *Suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Dan 2. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo.* Psal. 88. *Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in saphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* Isai. 54 *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam* Matt. 16. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Matth. vlt. Si autem errare docendo valerent, Ecclesia quæ veræ fidei nexu inconcussa permanet, defecisset: nam illam dicimus veram fidem quæ nobis à prænumeratis Magistris proponitur. Si autem Deus illis non assisteret, vt errare valerent, homines iustè ligare minimè possent, vt illis adhiberent fidem: quia magistro mendaci qui decipere docendo potest, nemo credere tenetur. cum ergo Apostoli, imò Dominus ipse nobis præceperit vt illis obedientiam exhibeamus, eodem tempore seipsum obstrinxit ad assistēdum illis, vt sic doceant, vt errare nequeant.

Cúm Petri negationem proponit, ineptissimé differit: nam priusquam Dominus insufflaret in Apostolos Ioan. 10. & aperiret illis sensū vt intelligerēt scripturas Lucæ 24. & Spiri-

tum

tum Sanctum mitteret in die Pentecostes Act. 2: Petrus, & cæteri Apostoli, cum homines rudes fuerint, errare vtique poterant: postmodum autem nequaquam. vanum ergo est Petri vel Thomæ errorem proponere: quia tunc Petrus munus Vicariatus Christi, & vniuersalis Ecclesiæ Pastoris non obtinuerat.

Paulus Apostolus ad Gal. 2. cùm Petrum repræhendisse affirmat, non in iure docendi, nõ circa veritatem doctrinæ errantem Petrum insinuat: quia si Apostoli docendo errare potuissent, vnde fidei firmitatem obtinere potuissemus? inscius, an atheus est qui hæc opinatur, & obijcit? præterea dixerat illi Dominus. *Rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* quomodo circa fidem seù credibilia errare poterat? error autem & si nullius momenti fuerit, circa comestionem & vsum legalium extitit, ne offenderet Iudæos Neophitos, Fidelium Gentilium conuersationem & mensam euitare simulabat: quod operari non licere Paulus affirmabat. hæc autem ad integritatem fidei minimè pertinent, vt patet.

Cùm subdit, plures Romanos Pontifices fuisse hæreticos, dico hæreticorum, & schismaticorum fuisse calumniatrices adinuentiones, vt

pluries

pluries tomo 1, & 2. demonſtrauimus. enimuerò Romanum Pontificem Eccleſiam docentem impoſsibile eſt errare: fidelis enim Deus noſter eſt, qui non patitur Petrum cum ſucceſſoribus ſuis in Eccleſiam ſuam errores intrudere poſſe, quę in fidei veritate inconcuſſa permanebit vſque ad conſummationem ſæculi. nec æſtimo Diuinæ prouidentiæ congruere, vt Romanus Pontifex etiam extra cathedram circa fidem errare valeat, vt fiat hæreticus: nec id aliquando contigiſſe nemo ſibi perſuadeat: qui enim oppoſitum opinantur, vel inſcij, vel circa fidem malè ſentientes ſunt.

Quòd autem quidam ex Romanis Pontificibus operati ſunt aliquid quod poſteris pietatis exemplum præbere non poteſt. Dico Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Angelis beatis, & cæteris compræhenſoribus Sanctis, ſuam non crediſſe Eccleſiam, ſed viatoribus hominibus, de quibus legitur 3. Reg. 8. *Non eſt enim homo qui non peccet*. & 1. Ioann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. manifeſtum eſt Sanctiſsimo Pontificali muneri, & vitæ, & operum ſanctitatem coniungere maximè congruere. quidam defecerunt aliquando.

do. id autem Petri cathedra non docuit, sed illius qui tenebat cathedram animi infirmitas operabatur. idcirco, & ipse Romanus Pontifex pro suis operibus, non autem pro munere cathedræ, præsbitero Confessario vtitur, á quo ab his quæ humana fragilitate contrahit, Sacramentalem obtinet absolutionem. Sed qui hæc obijcit, vel talibus delectatur obiectis, seipsum & opera sua examinet, & cæterorum hominum non accusare, sed excusare, vel compati infirmitatem nouerit.

Ad caput quartum. Putat Philadelphiensis perniciosum esse errorem, affirmare Pontificem Romanum super Generale Concilium habere potestatem, verúm hæc sententia de Papæ primatu super Concilia, est adeo vera, vt opposita sententia sit explorata hæresis: nam regimen Ecclesiæ diuino iure est Monarchicũ non autem aristocraticum: vt hucusque demonstrauimus: patet etiam hoc expresse per generalium Synodorum Acta, & dotrinam. nã vt supra enarrauimus, ex Concilio Generali tertio & quarto, Romanus Pontifex est Caput, Iudex, Pater, Custos, Pastor, ac moderator Cõciliorum actu congregatorum. vt tomo 1. lib. 2. disp. 4. demonstrauimus. Quoad missionem

Petri in Samariam, iam diximus non fuisse missionem præceptiuam, sed consultiuam, vt samaria Petri Apostolorum Principis doctrina, potestate, ac præsentia, magis in fide firmaretur, & illius Ecclesiæ dispositio amplius solidaretur.

Quòd autem Romani Pontifices in Synodis á Patribus damnati fuerint, error est manifestus nam nec Marcellinum, qui metu mortis idolis thus obtulit, Synodi Patres damnare ausi sunt, dicentes, *Tuo te ore iudica, nam prima Sedes à nemine iudicatur*. Quoad Canones, quos dicunt Apostolorum, quicquid sit de illorum numero, ac valore, pro nunc affirmare satis sit non semper expedire, nec olim tempore Ethnicorum principum, pro litibus, ac controuersijs decidendis vniuersam conuocare Ecclesiam licuisse: vt tomo 1. de Ecclesia, lib. 2. & tertio satis diximus.

Ad caput quintum: audet Philadelphiensis Romanum Pontificem arguere, eo quia super pedes Crucis signum gestare consueuit: indecens esse docens signum illud sacrum ac venerabile, quod in Ecclesijs honoratur, & in fronte & capite Regum collocatur, super pedes feratur sculptum. Sed homo iste doctrinam Pa-

trum

trum ſuorum ignorat; nec Chryſoſtomum legit, qui ſerm. quod Christus ſit Deus, tomo 5. docet Crucis ſignum omnibus in locis honeſtis pingere licitum eſſe, *Neque enim, inquit, ſic regia corona ornatur caput, vt Cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebãt, eius figuram tantopere quærunt: atque adeo vbique & inuenitur apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos: ſubinde omnes ea ſe ſignant in ſcribendo, in nobiliſsimum membrum noſtrum: in fronte enim noſtra quaſi columna quotidie figuratur. Sic in ſacra menſa, ſic in Sacerdotum ordinationibus, ſic iterum cum Corpore Christi in myſticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videri licet, in domibus, in foris, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs, & inſulis, in lectis, in veſtibus, in armis, in thalamis, in ſymposijs, in uaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis &c.* Si ergo Crucis ſignum vbique etiam in muris, ac lapidibus ſecundùm Chryſoſtomum laudabiliter depictum fuit, cur non ſuper pedes Summi Pontificis? & præcipue

pué, quia cũ fideles ad illius pedes prosternunt se, & Apostolicam venerantur dignitatem, & Christi Dei nostri Vicariam potestatem, in ea veneratione non seipsum, sed Crucis signum adorandum proponit; hac igitur ratione super pedes Crucis gestat venerabile signum: opus autem hoc laudabile redditur, quia finis operantis sanctus est. Theologorum verissimum est axioma, quòd sicut principium in speculabilibus, ita finis in moralibus: principia si vera fuerint, conclusionem veram pariunt: si finis operantis bonus, & ipsum opus erit bonum: in hoc ergo opere non proprius, sed Crucis honor intenditur, ideoque digné exequitur.

Imò summa hic fulget Romani Pontificis humilitas: nam vt diximus, quia à fidelibus Apostolica in ipso veneratur dignitas; Crucem proponit, vt adoratio illa non ad seipsum, sed ad venerabile Crucis signum tendat.

Ad caput sextum. Theologorum est communis sententia, vt supra enarraui: quod sicut principium in speculabilibus, ita finis in moralibus. finis huius Actionis Pontificię, & consimilium rectus, pius, & sacer est: idcirco & opus ipsum rectum, pium, & sacrum existit. Græcorum Natio, Romanum Pōtificem,

Christi

Christi Dei nostri Vicarium Generalem esse, super vniuersam Ecclesiam, in Concilio Generali Florentino enunciauit, & vt verissimũ Catholicæ fidei dogma venerata est: idcirco plura in sacris actionibus sub hac ratione illi operari licere, pari modo, fateatur.

Ad caput septimum, & vltimum. Opus hoc á Philadelphiensi ad Lectores decipiendos, in lucem editum fuisse, per ea quæ obijcit, conspicué cernitur. nullus enim Catholicorum dixit aut scripsit aliquando, Romanum Pontificem supremam in Ecclesia obtinere potestatem, quia Romana Vrbs sanguine Petri Apostoli consecrata fuit: sed quia Petrus Apostolorum, & vniuersæ Ecclesiæ Princeps, Romanũ Episcopatum assumpsit, & cum Romæ martyrij laurem adeptus fuerit, potestatis suæ hæredem ac successorem Romanum Episcopum constituit: nam Petri suprema potestas in Ecclesia, ipso obeunte, terminum habere minimè debuit: igitur Episcopatum, quem ipse tandem assumpsit, primatus sui hæredẽ dedit. Ineptũ est ergo Hierosolimitanũ Episcopum Primatẽ denunciare, quia ibi Christus Dñs sã guinẽ fudit: nã ipse Petro vices suas cõmisit, Ioã. c. vl. voluntas ergo Petri in re huiuscemodi, examinãda est: hæc autẽ ab initio Ecclesiæ patuit.

DISPVTATIO TERTIA

An Potestas à Domino Apostolis tradita hæredes habuerit.



VATVOR fuisse Apostolorum munera, in antecedenti disputatione demonstrauimus, Apostolatum, Præsbiteratum, Episcopatũ, & Sacræ politiæ administrationẽ. Apostolatus, potestatem præsefert euangelicã veritatem, signis, & prodigijs, seu miraculis testificandi, & Canonicas Scripturas cõstituendi. Præsbiteratus, ius est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conficiendi, Deo incruentum corporis, & Sanguinis Christi sacrificium offerendi, & in foro interiori peccata dimittendi. Episcopatus, munus præsbiteros ordinandi, chrisma complendi, Basilicas consecrandi, &c. Sacræ politiç administratio, potestatem directiuam, & coerciuam erga subditos in foro exteriori, complectitur.

Apostolos autem fuisse episcopos, manifestum

ſtum eſt in Scripturis Sanctis, Act. 1, Tim. 4. ad Tit. 1. & alibi, & Sanctorum Patrum eſt communis ſententia. Sic Dionyſius Areopagita de Eccleſ. hierarchia, vbi de Conſ. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Polycrat. Cyprianus lib. 3. epiſt. 9. Epiphanius hæreſi 27. Ambroſius ſerm. 2 in Dan. & in 1. Cor. capit. 13. Chryſoſtomus homilia 1. in Marcum. Auguſt. qui præcipué in Pſ. 44 inquit. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt pro patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum vnde nati ſunt? ipſa Eccleſia Patres eos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum*. Et cæteri Patres communi ſententia hoc paſſim docent.

Aduertendum tamen eſt, Epiſcopos non ita ſuccedere Apoſtolis, eo modo quo vnus Epiſcopus alteri ſuccedit, & Rex alteri Regi: nã Epiſcopi non omnem obtinent poteſtatem quam habuerunt Apoſtoli, vt optimè etiam notat Card. Bellarm. lib. 4. de Romano Pont. cap. 25. nam Apoſtoli in toto terrarum Orbe euangelizare, & vbique Eccleſias fundare poterant, Matth. vlt. & Marc. vlt. quod Epiſcopi

exe-

exequi nequeunt: Apostoli Scripturas canonicas constituendi ius habebant, vt reipsa patet, quod non habent Episcopi. Apostoli super vniuersam Ecclesiam potestatem habebant, & si Petro subiectam, quam non habent Episcopi. Apostoli habuerunt donum linguarum, & miraculorum, quo Episcopi carent. Præterea verus successor precedenti succedit, & ei qui iā non est: at in Ecclesia simul fuerunt eodem tempore Apostoli, & Episcopi, vt patet de Timotheo, Tito, & alijs, etenim si Episcopi sunt Apostolorum omnimodè successores, quibus nam Apostolis prænarrati successerunt Episcopi, cum tales Episcopi, & Apostoli eodem tempore manserint? Dicendum est ergo, Episcopos adeo Apostolis succedere, quatenus ordinem Episcopatus obtinent, quem primò habuerunt Apostoli: & quadam similitudine: quia sicut Apostoli pastores fuerunt, delegata tamē potestate, in vniuersa Ecclesia: sic Episcopi Pastores sunt in propria Diecesi.

Apostoli enim in Apostolatus munere successores propriè non habuerūt, cum potestas illa extraordinaria fuerit: & Apostolorum extraordinariæ missioni, solum Romanum Pontificem quodammodo succedere affirmandū

est:

est: nam vbique terrarum ipse solus euanzelizandi ius habet, per se vel legatos suos, medijs signis & podigijs, cùm opus est: etenim Gregorius magnus, Augustinum monachum deinde Episcopum in Angliam misit, qui medijs signis & prodigijs Regnum illud Euangelio repleuit, vt tomo 2. de Appellationibus Anglorum enarrauimus. & Gregorius 2. pariter Bonifacium Episcopum tanquam Apostolum in Germaniam delegauit, qui omnem Nationem illam Christianam reddidit: vt ibidem significauimus. Et etiam fidei & morum controuersias resoluendi ius habet præter erroris notam: quibus vniuersa debet credere Ecclesia: quod potestati Canonicas Scripturas exhibēdi æquiualet: & præterea est Petri successor: respectu illius ordinariç potestatis quā super vniuersā habuit Ecclesiam: quæ tunc Petro singulariter promissa fuit Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*. Mat. 16. *Tibi dabo claues regni celorum etc.* & tandē tradita Ioā. vlt. cùm ei Saluator dixit. *Diligis me plus his? Pasce agnos & oues meas*. Hinc est quód solus Petri successor fons est ōnis Ecclesiasticç iurisdictionis, quia potestatē ordinariè regendi vniuersam Ecclesiam, solus Petrus obtinuit:

Hinc etiam quantus sit schismaticorum error conspicuè cernitur. nam Patriarchas instituere, Metropolitas sancire, Diœceses præfinire, & præscribere, ad solius Petri successoris spectat potestatem, & Apostoli cùm hoc exequebantur, Petri absoluta potestate, illis delegata, vtebantur, idcirco post Apostolos solus Petri successor Apostolorum potestatem circa sacrā politiam & exeternum vniuersæ Ecclesiæ regimen obtinet, nec Episcopi particulares, etsi simul in concilijs congregati, hoc definire possunt sinè Papæ consensu ac voluntate, quia solus Petrus cum hȩredibus suis hoc ius Ecclesiam regendi vniuersam, à Domino recepit: & illa delegata potestas Ecclesiam gubernandi, quam cæteri habuerunt Apostoli, illis obeuntibus, ad suum fontem nempe Petrum redijt. nō habent ergo Apostoli successores, nisi quia Episcopi, quos ipsi instituebant, ordinem Episcopatus obtinuerunt, quem primò habuerunt Apostoli: quo sensu Sancti Ecclesiæ Patres Episcopos Apostolorum successores denunciant: & hoc eodem sensu Prȩsbiteri etiam Apostolorum successores quadam proportione dici possunt, quia Prȩsbiteratus ordinem habent, quem primò habuerunt Apostoli: attamen sub

hac

hac ſimilitudine & proportione, potius Epiſcopi enunciantur Apoſtolorum ſucceſſores, propter nobiliorem ordinem, ſcilicet Epiſcopatus, quàm præsbiteri. & hoc ſenſu inquit Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 43. tomo 7. *Manifeſta eſt sententia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolos mittentis, et ipſis ſolis poteſtatē à Patre ſibi datā permittētis, quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes &c.* non quod Epiſcopi in Apoſtolica dignitate Apoſtolis ſuccedant, ſed proportione quadam, quatenus Epiſcopalem habentes authoritatem, quæ primò fuit in Apoſtolis, & quatenus huius muneris Epiſcopalis Apoſtoli comminiſtros ac ſucceſſores conſtituere potuerunt Petri abſoluta poteſtate; qua illi vt delegata vtebantur.

Apoſtoli autem omnem ſuam poteſtatem á Chriſto Domino immediaté acceperunt, etſi cum ſubiectione ad Petrum: hoc ipſi Euangeliſtæ docent, Luc. 6. *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſuflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* Luc. 24.

Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas etc. Vos autem testes estis horum. Marc. 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matth 28. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* & Paulus ad Gal. cap. 1. ait *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem.* & deinde ait, se non accepisse potestatem suam à Petro, nec á cæteris Apostolis. *Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, et vocauit per gratiam suam, continuò non acquieui carni, et sanguini, neque veni Hierosolimam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* & cap. 2. inquit. *Mihi enim qui vi. videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* Quod etiam Patres docent vt in Superiore disputatione enarrauimus.

Hoc idem euidenti ratione probo nam Vicarius tunc munus exequitur suum, cùm abest is cuius est Vicarius, vt ipsa ratio nominis ostẽdit: ergo Petrus nullam exercuit iurisdictionẽ Christo Domino præsente; igitur omnem potesta-

testatem, quã supra cõmemorauimus, Apostoli à Dño obtinuerũt, nõ autem à Petro: nec caput Ecclesiæ militantis dici poterat Petrus, Christo Domino præsente, licèt caput vicaria sit potestate. fuit tamen á Saluatore institutus Pastor vniuersalis, Caput, & Vicarius generalis Ecclesiæ vniuersæ: hoc tamen munus exequutioni nõ mandauit, nisi Christo Domino absente, postquam scilicet ascendit in Cœlum.

Preterea, Apostoli á Domino immediate acceperunt ordinem Præsbiteratus, vt ipsa scriptura docet, & omnes Ecclesiæ Patres fatentur: cur idẽ dicendũ nõ erit de ordine Episcopatus?

Episcopos autem omnem suam potestatem á Christi Domini generali Vicario immediate accipere, necessarió asseuerandum est: quia ipsi soli, vel mediantibus Patriarchis, & similibus, vel immediatè, Diœceses tribuere, definire, & præscribere contingit: quia sola Petri sedes fons est õnis iurisdictionis: eique soli omnes subijciuntur Christi oues, & agni: igitur omnis potestatem exercens, á potestatis fonte eam sumere debet: nam rem ita se habere, ipsa consuetudo, & experientia docet. quis enim constituit Diœceses? quis eas minores, & ampliores decernit? quis hoc oppidum vel illud

huic

huic, & illi Episcopo distribuit, nisi Petri successor mediatè, vel immediatè? nullibi enim Christus Dominus Diœceses præscripsit ac diuisit: nec diuinæ scripturæ hanc diuisionem denunciant: sed Petro omnem suam potestatem pro vniuersæ Ecclesiæ regimine Saluatorem commisisse testantur: nam soli Petro dictum est, *Pasce agnos, & oues meas*.

Hoc tamen in re huiuscemodi animaduertendum est: Episcopatum scilicet, vt Ordo Sacer est, à Deo fuisse institutum, & à Deo, ei qui ordinatur Episcopus, immediatè conferri, quia ipse solus potest ordinis characterem imprimere. & sicut ordinẽ hũc summus Pontifex à Deo suscipit, sic & cęteri Episcopi. & hic ordo sicut & ordo, Pręsbiteratus, ita sũt de iure diuino, vt Ecclesiæ Pontifex eos immutare, & cassare non valeat; quia huiuscemodi ordines Dominus in Ecclesia constituit atque sanciuit: vt docet Paulus ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores & Doctores &c.* Horum ergo Ordinum collatio ab ecclesia instrumentaliter dependet: à Deo autem efficienter ac principaliter. Ius ergo diuinum vult in Ecclesia Præsbiteros, & Episcopos: hunc autem vel illum, præsbiterum

vel

vel episcopum ordinare, Ecclesiasticę Potestati commissum fuit. Sicut ergo ordo episcopatus de quo disceptamus, per consecrationem quandam á Deo confertur: sic è conuerso iurisdictio episcoporum in foro exteriori à Petri successore emanat: ordinem itaque á Deo, & potestatem á Petri hærede sumunt episcopi, quia Petro, & successori Dominus omnes suas commisit oues: nec earum quaſdam potest aliquis iure pascere, nisi á summo Pastore Christi vicario, ius accipiat pascendi. & licet episcopi in Ecclesia sint Principes, & non Papæ Vicarij, nihilominus Deus statuit, vt huiusmodi principatus á Petri hærede cõferatur; quatenus Vrbem, Terras, & oppida, in quibus episcopus principatum gerit, Petri hæres definire ac præscribere debet; & ius ea pascēdi seu regendi episcopus à Petri hærede debet accipere. etenim ab eo potestas tribuitur, à quo potest minui & augeri: ius autem pascendi augetur, & minuitur in episcopis iuxta placitum summi Pontificis, vt patet: quia ipse instituit Patriarchas, Archiepiscopos, & Dioeceses nunc restringit, nũc ampliat: ergo episcoporum potestas ad regendum, à summo Pontifice emanat ac dependet. quod etiam constat per ea quæ Iustinianus impe-

Imperator Nouella 131 .cap. 3. ait. *Per tempus primæ Iustinianæ nostræ patriæ Archiepiscopũ habere semper sub sua iurisdictione Episcopos Prouinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis Priualis, Dardaniæ, & Misiæ superioris, atque Pannoniæ, & abeo hos ordinari, ipsũ verò à proprio ordinari Concilio, et in subiectis sibi Prouincijs locum obtinere eum sedis Apostolicæ Romæ: Secundùm ea quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigiliò*. & pariter per quatuor primorum generalium Conciliorum canones, vt eos legenti patebit: sic tamen Episcopatus à summo Pontifice dependet, vt à iure diuino cogatur Episcopos constituere, quia Deus est qui statuit ordinem Episcopatus: & Episcopos esse debere in Ecclesia, vt supra probauimus.

Pro huius veritatis maiori declaratione quinque ponimus Cõclusiones. Prima hęc est. *Apostoli in Ecclesia non habuerunt propriè successores Episcopos*. Conclusio in huius disputationis principio probata est ex duplici capite. primó, quia õnis potestatis quã habuerũt Apostoli nullus Episcopus omnimodè hæres fuit. Secundò, quia verus successor ille est qui alicui succedit, vel quia ex hac vita decessit, vel quia munus

munus, & poteſtatem totaliter recuſauit: ſed eodem tempore fuerunt in Eccleſia Apoſtoli, & Epiſcopi, ac Pręsbiteri quos ipſi Apoſtoli ordinabant, ergo Epiſcopi & Præsbiteri impropriè dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores.

Secunda Concluſio. *Omnium Apoſtolorum poteſtatis, ſolus Romanus Pontifex eſt verus hæres*. Probatur, Inerat Apoſtolis generalis quædam poteſtas vniuerſam Eccleſiam regendi; cum hoc tamen diſcrimine, quia Petrus eam abſolutam, cæteri delegatam obtinebant: at nec de facto aliquis epiſcopus eam hęreditauit, quia nemo aliquãdo, præter ſũmũ Pontificẽ Romanũ, ſuper vniuerſam Eccleſiã poteſtatẽ habuit: nec de iure alteri contingit, quám Petri hæredi, quia ex omnibus Apoſtolis, Petro tantùm vniuerſæ Eccleſiæ commiſſa eſt cura, Io vlt. dicente Domino. *Diligis me plus his? Paſce agnos, & oues meas*. ergo ſolus Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, Apoſtolorum poteſtatem ſuper vniuerſã Eccleſiã hereditauit.

Tertia Concluſio. *Apoſtoli à Chriſto Domino immediatè poteſtatẽ obtinuerunt*. hæc propoſitio ex his quæ ſupra diximus ſatis probata conſiſtit.

Quarta Concluſio. *Epiſcopi ordinem Epi-*

ſcopatus à Petri hærede Romano Pontifice, inſtrumentaliter tantùm recipiunt: à Deo autem tanquam à cauſa efficiente principali. Concluſio patet. quia ſolus Deus ordinis characterem imprimere poteſt, vt ſupra dictum eſt.

Quinta Concluſio, *Epiſcopi Poteſtatem paſcendi & Eccleſiam regendi, à Petri Succeſſore Romano Pontifice immediatè tanquam à propria cauſa obtinent*. Probatur, ſolus Petrus à Domino conſtitutus fuit vniuerſalis eccleſiæ Paſtor: vt ſatis ſuperque in præcedentibus diſputationibus probatum fuit: ergo qui aliquam Eccleſiæ portionem ius paſcendi, vel habet, vel deſiderat, á Petri ſucceſſore, qui illius poteſtatis plenitudinem habet, obtinere debet. Confirmatur ratio cõſpicuo Cypriani exemplo, quod ipſe lib. de vnitate eccleſiæ tradidit: comparat enim Petri ſedem, capiti, radici, fonti, ſoli: á ſole autem omnes radij, á fonte omnes riuuli, à radice omnis ramorum vigor, & á capite omnis virtus membrorum emanat: ergo vt exemplum ac ſimilitudo ſubſiſtat, à Petro eiuſque ſucceſſore omnis fluit epiſcoporum ac cætero rum eccleſiæ Præſulum poteſtas.

Veritatem huius concluſionis confirmo ex Card. Bellar. lib. 6. de Rom. Pont. cap. 24. qui

gra-

grauissimum testimonium duorum veterum sanctissimorumque Pontificum affert. Innocent. 1. qui in epistola ad Concilium Carthaginense, quæ est 91. inter epistolas Augustini, ait. *A' Petro ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit*. & in epist ad Concilium Meleuitanum, quæ est 93. inter epistol. Augustini, inquit. *Arbitror omnes fratres et co Episcopos nostros non nisi ad Petrum, idest sui nominis, et honoris auctorem deferre debere*. & S. Leonis, qui serm 3. de assumptione sua ad Pontificatum ait. *Si quid commune cum eo alijs voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit*. & epistol. 89. ☞ *Huius* muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne *diffunderet*. ☜

Aduersus præmissas conclusiones Prima obiectio. Cyprianus lib. 1. epist. 3. lib. 1. epist. 1. lib. 4 epist. 2. & ad Iuba. in fine expressè docet episcopum soli Deo actuum suorum rationem reddere debere. ergo in sententia Cypriani episcopus est absolutus Princeps in sua Dioece-

si Romano Pontifici non subordinatus.

Respondeo Cyprianum docere tunc Episcopum soli Deo rationem reddere debere, cùm votum suum liberè in rebus dubijs decidendis exhibet: non autem cùm iudicium profert secundùm ea quæ ab Ecclesia definita fuerunt: tunc enim Episcopi habent iudices Archiepiscopos, Archiepiscopi Primatem Nationis, & hic summum Pontificem: nec hunc ordinem in ecclesia ignorauit vel negare potuit Cyprianus: & episcopus si errauerit, vtique iudicem Deum sustinebit: at non eo sensu Deum iudicem habebit, vt si ecclesiam scandalizet, non possit à Metropolitano, á Concilio, á summo Pontifice corrigi: loquitur ergo de rebus dubijs ac occultis, & de his quæ non dum fuerunt ab ecclesia discussa ac sancita: quidquid tunc iudicat episcopus, Deum iudicem habebit, si motiuum iudicij sui tunc non sit veritas, & charitas. Præterea cùm Cyprianus primum suum errorem pro rebaptizandis hæreticis aduersus Stephanum Romanum Pontificem propugnabat, hæc dixit, & similia quæ tamen iratus protulit, pacatus deinceps sententiam mutauit, & eidem Romano Pontifici obediuit; nec illam opinionem patroci-

natus

natus amplius fuit, vt Augustinus monet lib. 2 de baptismo contra Donatistas cap 5. tomo 7. ibi enim Augustinus Cypriani pœnitentiam tuetur, & nũquã ab ecclesia separatũ esse narrat: quod confirmat, quia qui in illo Africano Cõcilio fuerunt tenentes hęreticos rebaptizandos esse, non dicti sunt Cyprianistæ, vt Donatistæ à Donato, cum Stephanus Papa illud cassauit Concilium: igitur Cyprianus post aliquam cum Stephano Papa altercationem, sententiam mutauit, & Romano Pontifici obedientiam ac reuerentiam præstitit.

Secunda obiectio. olim Episcopi Christi Vicarij dicebantur, & Apostolorum successores, & Christi Domini legati, ergo à Deo obtinent Episcopatus potestatem independenter á Romano Pontifice: antecedens probatur ex Ambrosio in 1. Cor. 11. vbi ait. *Episcopus personam habet Christi, & Vicarius Domini est*. ex August: qui in quæst. vet. & noui testamẽti quæst. vlt. inquit. *Antistitem puriorem cæteris esse oportet: ipsius enim Christi habere personam videtur: est enim vicarius eius: vt quod cæteris licet, illi non liceat, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere.* Patres Concilij Meldensis in Præfat. aiunt. *Nos omnes licet indigni,*

Christi

Christi tamen Vicarij et Apostolorũ ipsius successores consilium Dei adnunciamus. & cap. 18. *Nos autem Dei iudicio, qui ab illo Vicarij constituti, iuxta ministerium nostrum pro viribus decertare studebimus.* ex Hieron. epist. 54. *Apud nos Apostolorum locũ Episcopi tenent.* ex Gregor. hom. 29. in euang. *Apostolorum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque soluendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Respondeo verum esse Patres denunciare Episcopos Apostolorum successores, quod & nos fatemur, eo tamen sensu quem supra enarrauimus: quatenus episcopi ordinem episcopatus habent, quem primó habuerunt Apostoli, non autem quod propriè in potestatis plenitudine illorum sint successores, vt reipsa patet: nam nullus Episcopus super vniuersam Ecclesiam potestatem habuit: quemadmodum à Domino acceperunt Apostoli, Patres enim qui episcopi fuerunt, & in obiectione afferuntur, nempe Augustinus, Ambrosius, & consimiles, in proprijs Diœcesibus potestatem exercebant, & non alibi: igitur Apostolorum propriè successores dici non debent.

Dicuntur autem episcopi, imò & Præsbiteri

vicarij

vicarij Saluatoris, non generales pro vniuersa regenda ecclesia, vt est Petri successor, Romanus Pontifex: sed in proprio ac particulari munere exercendo; cum potestatem exequantur, quam Saluator noster tenuit, & episcopatus ac præsbiteratus ordinibus connexit: tunc vicem Christi tenere dicuntur: nam Christus Deus noster Sacerdos fuit Psal. 109. & ad Heb. 5. & episcopus dicitur. 1. Petri. cap. 2. hoc ergo sensu episcopi, Christi Domini Vicarij ac legati denunciantur: at sicut Præsbiter qui in suo munere Christi tenet vices, suo tamen episcopo subijcitur: sic omnes Episcopi, etsi in suis Diæcesibus Christi Domini sint particulares vicarij, nihilominus summo Pontifici debent esse subiecti.

Quoad potestatis deriuationem dico, nullatenus sequi, ex eo quod Episcopus, in suo exequendo munere, vices ac locum Christi suppleat, ideoque suam potestatem á summo Pontifice non suscipiat. nam Gubernator alicuius Vrbis, Regis in eo munere potestatem exercet, attamen a Prorege, cum Rex abest, ius gubernandi accipit: sic in casu. Ecclesiæ Præsules, Christi vices tenent, potestatem tamen à Romano Pontifice accipiunt, qui in Ecclesia pro

rex

rex eſt, ob Saluatoris abſentiam, omnem Chriſti ſummi Regis diſtribuens poteſtatem.

Præterea dicitur epiſcopatus poteſtas à Deo prouenire: quatenus ipſe Deus talem inſtituit ordinem: at per ſuum generalem Vicarium conferendum: & ab eodem ius paſcendi obtinendum, qui ab ipſo Deo, vniuerſalis conſtitutus eſt Paſtor: hac tamen lege, vt particularium eccleſiarum Paſtores conſtituere debeat. ſons ergo omnis poteſtatis in eccleſia militante eſt Petrus cum hærede ſuo Romano Pontifice.



DISPV-

DISPVTATIO QVARTA

An summa Potestas, quam super catholicam Ecclesiam Petrus ordinariam à Christo Domino, & cæteri Apostoli delegatam, acceperunt: & Romanus Pontifex, Petri & Apostolorum hæres, tribus seculis executus est, ad Constantinum Romanorum Imperatorem, & deinceps ad alios Principes Laicos transierit, postquam baptismi Sacramento oues facti sunt Christi.

DISSERENTI mihi de Apostolorum Potestate aduersus philadelphiensem, & alios hæreticos. Vir quidam nobilis librum obtulit, ab Hugone Grotio, & Dauide Blõdello editum: quorum prior Principibus laicis posterior verò vniuersæ plebi Potestatem circa Sacra, seu in regimine ecclesiastico attribuit. Cumque hos duos inter se dissidentes auctores vnico tamen libello colligatos inspexerim, ac perlegerim, Parabola Redemptoris nostri, quæ

Luc. 10.

Luc. 10. perhibetur, illico mihi obuia fuit, de *Homine* qui descendens ab Ierusalem in Ierico, incidit in Latrones, qui despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo *relicto*. Hic enim Homo, Petrum Apostolorum Principem cum hærede suo Romano Pontifice in re nostra exhibet: Latrones autem illi, Hugonem Grotium, & Blondellum figurant: Vestes, summam Petri Potestatem, & plagæ contumelias exprimunt. Nam summã super Ecclesiam potestatem á Petro auferunt, & Principibus laicis, vel plebi dicant: & insuper Petrum, & Romanum Pontificem Pedagogis, medicis, & chirurgis similes esse contumeliosé proclamant, vt infra narrabimus. Illud tamen præmissæ Parabolæ ad rem non venit, vt Petrus semiuiuus relictus sit: quia Petri cathedra, à Satana, & hæreticorum insanijs, inpugnari potest, expugnari non potest.

Descendam ergo in arenam in disputatione hac contra Hugonem Grotium, & deinceps in disputatione sequente contra Blondellum, & cum Grotius opus suum in duodecim capita distribuerit, ipse etiam in illis refellendis, duodecim capita huius dissertationis construam. caput primum in libello Grotiano est,

Summis

Summis Poteſtatibus imperium circa Sacra cō-
petere: noſtrum autem caput primum ſit,

PRINCIPIBVS LAICIS IMPERIVM CIRCA SACRA NEQVAQVAM CONTINGERE.

Religionem Deo placitam, ſanum Dei cultum, viam ac media pro æterna felicitate aſſequenda, doctrinam eſſe non naturæ viribus accquiſitam, ſed a Deo reuelatam, nemo mētis compos, & in humanis, ac Diuinis iuribus peritus ambigit: imò nec præter inſcitiæ vel proteruiæ notam ambigere poteſt. Quamobrem ea in rebus huiuſcemodi ſeruanda ſunt atque credenda, quæ Deus ipſe docuit, qui *olim multifariam multiſque modis loquutus eſt Patribus in Prophetis, & nouiſſimè loquutus nobis in filio*. Omiſſa igitur lege naturæ, quæ paucam nobis de Diuinis tribuit notitiam, doctrinam vtriuſque Teſtamenti appellare opus habemus, vt quæ falſa ſunt reſpuere, & quę vera ſunt venerari valeamus.

Cum ergo diſceptatio ſit de Imperio circa Sacra, cui contingat, Sacerdoti, vel Principi laico; quid Deus ſtatuit atque mandauit obſer-

uare debemus: hos enim limites transgredi non decet, nec licet. Ex doctrina autem naturæ viribus acquisita nouimus, Genus hominum Principe opus habere, pro pace, tranquillitate, & ordine in humanis rebus obtinẽdis, quæ remoto Principe assequi nequeunt. Etenim cum variæ sint Nationes, & dissimiles hominum mores, & vires dispares, ex hac diuersitate, furta, rapinæ, homicidia, adulteria, stupra, & omnia genera malorum orirentur, & pariter confusio: nam nullus inter homines adesset ordo, nec discrimen inter nobilem, & ignobilem, doctum & ignarum, malum & bonum: hæc autem mala auferuntur, saltem vt plurimum, positis Principibus & Magistratibus, vt ipsa experientia instruit. Quamobrem Apostolus 1. Tim. 2. pro Regibus qui in sublimitate sunt, orandum Deum monet, quia eorum ministerio quietam, & tranquillam vitam homines obtinent: hic ergo finis est, & hæc est vtilitas temporalium Potestatum.

Verùm quia Deus propter bonitatem suam, præter hanc naturalem felicitatem, voluit etiam diuinitatis suæ nos esse participes, & ea beatitudine, qua æternaliter beatus est, nos quoque esse beatos; doctrinam reuelauit homini,

& quæ

& quædam sanciuit, quibus illã consequerentur beatitatem. In reb. autem huiusmodi an illis huius ministerij Primatum commiserit, quibus huius vitæ tranquillitas cõcreditur; vel alterius generis constituerit Principem; inspiciendum erit. hic est enim huius disceptationis nodus.

Hugo Grotius, contra quem disputamus, ministros immediatos rerum sacrarum non esse Reges fatetur, nam in veteri testamento Tribum Leui, & in nouo, Apostolos, eorumque Successores hoc á Deo obtinuisse ministerium conspicué cernitur, & ipse annuit. Sed sub Regum directione ac iurisdictione huiusmodi ministros, & Sacra ipsa, esse in foro exteriori probare contendit: adeo quod ad Regem in regno suo spectet Synodum conuocare, & in ea præsidere, leges condere, causas audire, & cognoscere, controuersias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiæ constituere vel deponere, reos censurare, & cuncta quæ ad fidem, & religionem pertinent, sic iudicare, vt á nemine dependeat; hoc enim est habere in Ecclesia primatum, & imperium in exteriori regimine. & ad hæc probanda, omnia quæ in suo disposuit opere, dirigit. quæ distinctè &

ordi-

ordinatè recensebimus,& consimili ordine re-fellemus:

Docet primúm, *Summam Potestàtem Personam esse, aut optimates qui ius habent super populum soli Deo subditum.* at huiusmodi assertio ex omni capite inepta est & insulsa; cum ipse his verbis Principes laicos describat, sequitur vt fallaciam cõmittat petitionis principij; nam hoc est nunc in quæstione inter Catholicos, & Grotium: an Christianus populus sit tantùm Regi subiectus, vel etiam in rebus Sacris, vt ouis summo Pastori Christianorum subijciatur; ille negat: Catholici affirmant: quod ergo quæritur seu controuersũ est, Grotius pro fundamento assumit. petit ergo principium.

Et quia Apostolus Christianos homines monet ad Heb. 13. vt Prępositis Ecclesiasticis obediant, vt oues subiectæ pastoribus. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* consequens est vt Grotius non Principes Christianorum, sed Ethnicorum, & Paganorum descripserit; hi enim soli Deo creatori sunt subiecti: quia extra Christi ouile vagantur, & Pastoribus carent Ecclesiasticis, quibus obe-

obedire tenerẽtur, iuxta Euangelij doctrinam· hęc est Grotij fabrica, quã cõtra Ecclesiam catholicam construxit, *fundata super arenam, vt Saluator* Matth 7. *monet: sed descendit pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.* Sed quid mirum est, quia sic disserit? Potestates enim illas patrocinatur, quæ sunt extra Ecclesiam Catholicam, & illarúm Gentium conditiones delineat, quæ varijs hæresibus foedantur: vtrique autem Gentiles sunt non Christiani, vt optimé monent Tertullianus de præscript. hæreticorum, & cæteri Ecclesiæ Patres: nam hæreticus, est nomine christianus, re paganus. cùm ergo dixit eos Principes laicos *Summas Potestates,* extra Christi ouile, cuius Pastor est Petrus, illos constituit. cúm subdit, *populum soli Deo subiectum*, fidei catholicæ desertores describit, qui Deum vt naturæ authorem habent Principem, non vt institutorem gratię, qui ouibus suis Pastorem dedit, Ioann. 1. Matth. 16. Ioan, vlt.

Desertorum autem hanc opinationem pluribus argumentis Grotius comprobare nititur: Primum est hoc: Optatus Mileuitanus aduersus Parm. lib. 3. ait. *Super Imperatorem non est*

nisi

nisi solus Deus qui fecit Imperatorem, & Tertullianus ad Scapulam. *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, et ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, et quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem. hoc et ipse volet, sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est*. quibus infert, Principes laicos sic omnibus maiores esse, vt nemini possint esse subiecti. & deinceps alijs rationibus hoc posito fundamento, etiam circa Sacra imperium obtinere, ostendere nititur.

Respondeo, Imperatorem, & cæteros laicos Principes, in eorum munere proprio, nulli inferiores esse in genere ciuilium, & politicarum rerũ huius seculi; hoc & ipsi nouimus, & ex animo concedimus: & in rebus huiuscemodi soli Deo esse subiectos, & Deo tantùm minores esse fatemur: at in his quæ Religionis sunt, si Christiani fuerint, summo Christianorum Pastori subditos denunciamus; quia ipsi oues sunt, & ille Pastor: nec aliter fieri potest vt metaphora Saluatoris nostri subsistat de ouibus & Pastoribus: nam omnis ouis in eo genere quo ouis est, Pastori, qui in hoc genere maior est, non potest non esse subiecta quoad directionem, & correptionem. & cum poste-

reue-

reuelata,& naturalia ſint alterius generis & diuerſa,ex Primatu circa poſteriora adPrimatum erga priora, inepta eſt illatio, vt infra demonſtrabimus.

Sed contra ſic arguit. Apoſtolus Rom. 13. ait. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,etc. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* ergo omnis homo,etſi Eccleſiæ miniſter,ſummis poteſtatibus ſubeſt, qui omnem cauſam iudicare valent, & omne malum punire: ac etiam errorem circa Sacra; quia illud malum agit, eſt propoſitio indefinita, quę vniuerſali æquiualet. quod Salomon Prou.20. etiam docuit, dicens. *Rex ſolio iuſtitiæ inſidens, oculis ſuis ventilat omne malum.* & Chriſoſt. in epiſt.ad Rom.ait *Etiamſi Apoſtolus ſit, ſi Euangeliſta, etiam ſi Propheta.* & Bernardus in epiſtola ad Archiepiſcopum. *Si omnis, & veſtra, qui vos excipit ab vniuerſitate?*

Reſpondeo,Grotium in ſuo libello tántùm iura ſummarum Poteſtatum tueri, non autem miniſtrorum eorundem Principum: vt ipſe ex aduerſo quæ obijcit deſtruam,ius Summæ Poteſtatis circa ſacra,quam diuino iure Petri Romana Cathedra habet, præcipuè patrocinari

teneor: hæc itaque est disceptatio quam habemus. De immunitate autem totius Cleri à iurisdictione laicorum Principum, satis dixi tomo 1. lib.4. disp.4.

Quamobrem obiectio inanis statim redditur, quia Paulus Apostolus, Chrysostomus, & Bernardus, præfatis verbis Petri Romanam cathedram Regum non subijciunt potestati, sed nec subijcere possunt: quia Saluatoris nostri doctrinam destruerent, quod operari nefas est: Dominus enim manifestè docuit, nec se, nec Petrum Cęsari esse subiectos, Matth. 17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? etc. ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascēderit, tolle, et aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, et te.* soluit Redemptor noster cum Petro tributum, sed non quia de iure, verùm ad scandalum remouendum, quia cum ministri Cæsaris, Pagani & increduli essent, nec dignitatem eius & Petri Vicarij sui scirent, Regnum illud sæculare se assumere voluisse opinati fuissent: remoto itaque tali scandalo, seu occasione scandali accepti, fatetur se & Petrum à solutione tributi immunes esse, vt patet. tri-

butum autem ſubiectionem erga Principem cui exhibetur infert, & ſubiectio tributi debitum, vt manifeſtum eſt; ergo cum Dominus ſe, & Petrum á debito ſoluendi tributum eximat, & á ſubiectione ſe & Petrum liberos denunciat. res eſt euidens. Quæ perpẽdens Hieronymus, ſic ait. *Poſt inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita, quid ſibi vult Apoſtolorum repentina interrogatio? quia viderant pro Petro, et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij, arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe Prælatũ, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.*

Hinc iurè Catholici inferunt, non tantúm Cathedram Petri eſſe ſummam Poteſtatem nemini ſubiectam, ſed cum Chriſto Deo noſtro vnum, & idem eſſe tribunal: Sicut de facto cuiuſcumque Vicarij tribunal illud idem eſt, quod Princeps, cuius eſt Vicarius, habet. diſcant ergo Nouatores Sectarij quantam debent cathedrę Petri reuerentiam, quę tribunal eſt Saluatoris noſtri Dei, qualem habeant contumaciam, & quam pœnam cum Dathan, & Abiron, qui Moyſis principatum venerari renuerunt, in infernali combuſtione ſoluent.

Et hoc idem Bernardus, quem contra nos

citat docuit, Petri ſcilicet Romanã cathedram, Poteſtatem ſublimiorem eſſe, nemini ſubiectam, in epiſtola ad Corradum Imperatorem; *Legi* inquit, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. quam ſententiam cupio vos custodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario: ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio*: Bernardus ergo nobis obiectus, Grotium deſtruit.

Ad illud, quod omne malum Rex iudicare poteſt, reſpondeo vtiqui poteſt omne malum punire, ſed illud omne, refertur ad ius ſui tribunalis: ſi Rex circa doctrinam reuelatam non eſt conſtitutus iudex, quomodo malum in hoc genere illi iudicare licebit? quis enim ſanæ mẽtis non nouit omnes Chriſti oues, vt oues ſũt eius, Petro commiſſas fuiſſe, & non Cæſari? qua fronte Grotie oppoſitum eructare audes? ſi Cæſari Eccleſiam ſuam committere conſtituiſſet, ſicut Paulum perſecutorem proſtrauit, & Chriſtianum reddidit, & poſt annos trecẽtos Conſtantinum Cæſarem illuminauit, ſic ab initio Tiberium Cęſarem; & Pontium Pilatum fideles reddidiſſet, vt illis potuiſſet comittere Eccleſiaſticam poteſtatem: at hoc non fecit, cur vos non pudet primatum Eccleſiæ Petro

colla-

collatum, post annos trecentos ad Constantinum Cæsarem migrasse opinari?

Obijcit tertiò, quod Iosue cap. 1. legitur, cúm scilicet dictum est ei á populo Israel. *Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunque miseris ibimus: sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus, & tibi*: ergó à simili vniuersi Regnicolæ Regi omnibus in rebus tam Sacris, quam laicis obedire tenentur.

Respondeo hoc argumentum dupliciter peccare, primò quia lex Moysis abrogata est, vt patet Act. 15. ad Galatas cap. 3. & seq. Lucæ 16. & ad Heb. 7. idcirco paritas inanis est. nam quod Deus statuit obseruandum est. moralia tãtùm præcepta manent eadem sub vtroque testamento: at inter præcepta moralia primatus Regis in Ecclesia non habetur, vt patet. Secundò, quia primatus circa sacra nec in veteri testamento fuit apud Regem, sed apud summum Sacerdotem, vt patet Deut. 17 *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram, & lepram: & Iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. veniesque ad Sacerdotes Le-*

uitici

uitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi Iudicij veritatem. & facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore, ministrat Domino Deo tuo, et decreto Iudicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel.

Et Iosue Num. 27. præcipitur à Domino, vt Sacerdoti obediat in Sacris. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum ad verbum eius egredietur, et ingredietur Iosue, et omnes filij Israel cum eo, et cætera multitudo.*

Et licét Reges quædam egisse in Scripturis Sanctis legamus circa Sacra, ea tamen facta sũt non iure Potestatis Regiæ, sed pro rerum expeditiori executione, vel patrocinio, prout opus fuit: iudicium tamen circa Sacra, quod Primatum infert, Sacerdotum erat. Quia autem Rex Salomon Abiathar à Sacerdotis munere deiecit 3. Reg 2. & Sadoc subrogauit, inferunt Sectarij Salomonem Primatum circa Sacra habuisse: sed affirmare tenentur, vel hoc egisse

spe-

ſpeciali Dei mandato, quia ibi ſic legitur. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper Domum Heli in Silo*. vel erraſſe; vtinam Salomon nunquam erraſſet; plura enim contra Dei legem operatus eſt. Nam Saulo Regi regiam, & cõſimilem habenti poteſtatem, non licuit aliqua iuriſdictione vti in Sacerdotes Domini: præcipienti enim illi 1. Reg. 22. vt Sacerdotes Domini interficerentur, eo quod conſpiraſſent cum Dauide contra ipſum Regem, prout opinabatur, miniſtri Regis in re huiuſcemodi obedire noluerunt: quia nouerant Regem non poſſe legitimé id mandare, nec Sacerdotes poteſtati Regiæ ſubiacere: etſi homo Idumeus Doeg Gentilis id executus deinde fuerit. ☞ *Dixit* Rex Saul, morte morieris Achimelech, tu & omnis domus Patris tui: & ait Rex emiſſarijs, qui circumſtabãt eum: conuertimini & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid eſt. Noluerunt autem ſerui Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes *Domini*. ☜ igitur nec in veteri teſtamento Reges circa Sacra imperium habuerunt.

Obijcit quartó ſic. Repugnat iuri naturali du-

duplicem esse summam Potestatem, ergo etiam Sacra summæ Potestati subiacent: aliter tolleretur ordo, & ratio summæ Potestatis. olim Patres contra Gentiles Deum esse vnum probarunt; quia qui summus est, multiplex esse nequit, aliter nullus esset sũmus. Sicut enim in homine vna est potentia scilicet voluntas quæ omnibus membris imperat: sic *in Ciuili* Corpore quod est Regnum, vna Potestas omnia imperare debet. Resp. tunc vna est, cùm vnus imperat. & quia Imperij effectus est, obligatio, & coactio; si plures imperarent, imperata possent esse contraria, quod est contra boni regiminis rationem. nam ideo imperiũ Patris in Filios cædit imperio Summæ Potestatis, quia impossibile est in eodem Regno, & in eadem causa, duas esse summas Potestates.

Respondeo vtique repugnare iuri naturæ, vt duplex in eodem Regno sit summa Potestas eiusdem generis, quæ habeat idem obiectum & circa idem versetur: at non repugnat, imó iuri naturæ valde consonum est, vt circa ea quæ sunt diuersi generis & distincta, vt sũt Sacra, & profana, seu temporalia, & spiritualia in eodem Regno sint duo Priucipes. hoc modo

do rectus ordo seruatur & nulla oritur confusio. nec ratio *Summæ* Potestatis aufertur, quia Princeps dicitur *Summa* Potestas in ciuilibus causis tantùm: & circa ciuiles causas vtique repugnat duos esse summos Principes. quamobrem exemplum de vnitate Dei ad rem non venit; quia Princeps laicus non est ita summus vt ei etiam Sacra iudicare contingat, vt Grotius falsò supponit: si enim illi vtraque iudicare liceret, vtique exemplum haberet effectum, & repugnantia adesset, quia in eodem genere duo viri nequeũt esse in eodem Regno simul & semel summæ Potestates.

Ad exemplum de vnica hominis voluntate quæ imperat vniuersis potentijs, Dico sic expedire, vt vna sit volũtas in homine quæ omnia imperet, quia omnes potentię ad vnum finem, vtilitatem scilicet hominis in ordine naturali & humano intrinsecè diriguntur: at extrinsecè homo duplicem habet finem, naturalem, & cælestem, seu spiritualem, ad quem assequendum, media diuersa & disparata proponuntur. ideo duplice indiget Rectore & Principe, quorum vnus naturalem finem, & naturalia media curet, & alter cælestem, & reuelata media statuat & dirigat.

Cum ſubdit, Reſp. tunc vna eſt, cúm vnus imperat. hoc verum eſſe fatemur. at diſcat Grotius in Regnis Catholicorum duplicem eſſe Remp. ciuilem, & Eccleſiaſticam. Reſp. ciuilis vna non eſſet, ſi duo in ciuilibus imperarẽt. at in re noſtra vnus in ciuilibus, alter circa Sacra imperat. idcirco vnitas Reip. ſubſiſtit.

Cùm ſequitur, Imperij effectus eſt *obligatio*, & coactio, ſi plures imperarent, imperata poſſent eſſe contraria. Dico, ſi imperium eſſet in eodem genere, & circa idem, verum eſſet: quia autem eſt in diuerſo genere, & circa diſtincta. illatio falſa eſt. & hac ratione imperium Patris in filium cædit imperio ſummæ Poteſtatis, quia in eodem genere ciuilium, nequeunt eſſe duo Principes; imperiũ vtriuſque Patris ſcilicet, & Principis idem habet obiectũ, idcirco vnum alteri cædit: imperium autem Poteſtatum temporalium, & diuinarum rerum, diſtincta, & valde diuerſa conſiderant.

Sed inſtat adhuc Grotius, Si plures ſummæ Poteſtates, ciuilis vna, ſpiritualis alia, confuſio proculdubio adeſſet. nam prior vnum aliquid mandaret, poſterior oppoſitum pręciperet. & idem homo contraria exequi, vel neutrum operari teneretur. Vnde Tacitus: *Omnes præcipiunt*

cipiunt, nemo exequitur. Vel si alter alteri cædit, prior non erit *Summus*, quia alteri parere debet. hæc autem sunt absurda. & huc tendunt diuinæ illæ sententiæ. *Nemo potest duobus Dominis seruire. Et Regnum in se diuisum dissipabitur*. Omnis enim Potestas consortis impatiens. in summis enim Imperijs subordinatio haberi non potest.

Respondeo, confusionem quam Grotius inferre nititur, non realem sed imaginariam esse, eo quia, vt diximus, Potestates sunt distinctæ, & diuersi generis habent obiecta: quamobrem quod vna mandat, altera minimè prohibet. Ad illud Taciti, dico si omnes circa idem leges, & præcepta, tradere possent, proculdubio nemo tunc exequeretur: at potestas ciuilium vna est, Potestas circa Sacra est altera: ideo omnes exequuntur & Sacra, & ciuilia, quia ad inuicem non sunt contradicentia. nemo ergo perdit esse *Summum* in suo genere; nec hoc modo est Regnum diuisum, nec duos obtinet Dominos, eo sensu quo Saluator noster ea dixit, quia vt præmisimus, regimen non est circa idem, sed in diuerso genere, & circa separata & distincta.

Si autem contingat Potestatem ciuilem cō-

tra Potestatem Ecclesiasticam aliquid mandare, tunc Potestas ciuilis cædere debet, & regnicolæ Potestati Ecclesiasticæ parere tenentur. nec tunc Potestas ciuilis cessat esse sũma, quia trascendit sui iuris limites, sed diceretur tunc Potestas summa aliena vsurpans.

Do exemplum per ea quæ Grotius capit. 4. asserit. Docet autem summæ Potestati subditos obedire non teneri, cúm aduersus ea quæ Euangelium mandat, imperat. Peto á Grotio, tunc Potestas perdit ne esse *Summa*, quia subditi exequi renuunt? minimè, quia summa est in suo genere, & intra suam spheram actiuitatis, & non vltra. Quæro secundò, est ne tunc regnum diuisum, habet ne duos Dominos? haudquaquam. quia diuersi generis sunt Regis & Dei præcepta. sic á simili, Potestas ciuilis cedere tunc debet Potestati Ecclesiasticæ diuinam legem mandanti & custodienti, nec tamẽ regnum diuiditur, nec sunt duo Reges eiusdẽ Regni, quia fines diuersi, & media alterius generis. sicut ergo lex Euangelica, & diuina regnum non diuidit, nec duos in Regno constituit Dominos sibi oppositos. sic Potestas Ecclesiastica, quæ diuinam legem custodit, hæc eadem premissa non infert.

Propo-

Proponit deinceps Grotius multas Sanctorum Patrum sententias, quibus ostendere nititur ad Reges, & Laicos Principes quos summus Potestates appellat pertinere, omnia quæ Religionis sunt ordinare, & sancire. Augustinus 5. de Ciuit. Dei cap. 14. Felices dicit Reges si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum Maiestati eius famulam faciunt. & contra Crescentinum lib: 3. cap. 51. & epist. ad Bonifatium, docet Reges tunc seruire Domino in timore, cúm potestate sua quæ contra Deum sunt prohibent, & vindicant legibus & pœnis. & addit Grotius hanc esse illam Regiam nutricationem Ecclesiæ quæ dicta est ab Isaia cap. 49. & 60. & epist. 50. ad eundem Bonifacium, Augustinus Reges commendat qui quæ sunt contra Deum prohibuerunt, & culpat eos quia eadem nón euerterunt &c.

Isidorus Hispalensis sent. 3. cap. 51. inquit. *Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt, nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.*

Leo epist. 75. ad Cognominem Augustum

Debes

Debes incunctanter aduertere regiam potestatẽ tibi non solum ad mundi regimen sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam & epist. 42. ad Martianum. ¶ *Magnam* materiã gratulationis accepi, quia studiosissimos Vos Ecclesiasticæ pacis agnoui: cui desiderio diuina æquitate confertur, vt quem statum cupitis esse religionis, eundem habeatis, & *Regni* ¶

Optatus Mileuitanus lib. 3. ait. *Non enim Respub. est in Ecclesia sed Ecclesia in Repub. ideſt in Romano Imperio.*

Socrates historicus libr. 5. Præf. inquit. *Ex quo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab ipsis dependere.*

Constantinus in antiqua Inscriptione, *Religionis, & fidei Auctor dicitur;*

Basilius Imperator, Ecclesiam Nauem vocãs vniuersalẽ, eius sibi gubernacula ait á Deo concredita.

Circumfertur nomine Eleutherij Romani Episcopi, vetus epistolium, quo Regem Britãnum Vicarium Dei dicit in Regno suo.

Imperatores Theodosius, & Honorius in epist. ad Marcellinum aiunt. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consilijs ordinamus, nisi vt verum Dei cultum Or-

bis

bis nostri plebs deuota custodiat.

Theodosius in epist. ad Cyrillum. Cæsarei est muneris, vt non solùm pacificè, sed piè etiam subditi viuant.

Auctor libri de regimine Principum, qui Thomæ adscribitur, ait. Finis ad quem Rex principaliter intendere debet in seipso, & in subditis, est æterna beatitudo, quæ in visione Dei consistit. & quia ista visio est perfectissimum bonũ, maximé mouere debet Regem, & quemcumque Dominum, vt hunc finem subditi consequantur:

Concilium Moguntiniacense 1. Carolum magnum dicit veræ Religionis Rectorem.

Iustinianus. Nil tam studiosum in omnibus rebus inuenitur, quam legum auctoritas, quæ & diuinas, & humanas res benè disponit, & omnem iniquitatem expellit.

Sed his omnibus & consimilibus testibus, quos Grotius affert, & adhuc afferre potest, non nisi patrocinium, adiutorium, & obsequium Principum erga Petri Romanam Cathedram ostendit, nõ autem Imperium, potestatem, ac iurisdictionem. & quod ita sit, eiusdem generis virorum clarioribus sentẽtijs huiuscemodi veritatem demonstrabo.

Grego-

Gregorius Nanzianzenus Orat. 17. ad Populum tim. percul. ait. *Quid autem vos Principes & Præfecti? ad vos enim nostra se conuertit oratio*. & infra. *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque lex Christi Imperio meo ac throno subijcit: Imperium nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius: nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.*

Osius cordubẽsis ad Constantinum Imperatorem sic ait apud Athanas. in epist. ad solit. vitam agentes. *Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. & quemadmodum qui tuum Imperiũ malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita et tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Chrisostomus hom. 5. in epist. 2: ad Cor: *Iste autem Principatus* nempe Potestatis spiritualis & Ecclesiasticæ, *Ciuili* tanto melior est, quanto terra Cælum: imó & multò magis: & non multa illi cura est de sæculari vita, omnia autem de cælestibus rebus *pronunciat*. & hom. 4 super Isaiam tomo 1. ait. *Quamquam* admirandus videtur thronus Regius, tamen

men rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam habet authoritatis.

Cum Valentinianus Imperator ad Synodũ indicẽdam solicitatus esset ab Episcopis Orientis anno D. 364. pro restauranda consubstantialitatis fide, quæ à Constantio pessumdata erat, præclarum hoc responsum dedisse, testatur Sozomenus lib. 6. cap. 7. ☞ *Sibi* qui vnus e laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotijs interponere: & ideo sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se vbicunque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.

Ambrosius lib. 5 epistolarum in orat. de Basilicis tradendis versus finem tomo 5. ait. ☞ *Quid* honorificentius quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur: quod cùm dicitur, sinè peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est: bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non *refutat*. ☜ & epist. 32. ad Valent. Augustum inquit. *In causa fidei Episcopi solent de Imperatoribus Christianis iudicare, non Imperatores de Episcopis:*

Agapetus Pontifex epist. ad Iustinianum

Imp. prudentissimè rescripsit, qui edictum aliquod de fide orthodoxa promulgauerat, se illud laudare, & amplecti, *Non quia Laicis authoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ, Patrum regulis conueniens confirmamus atque roboramus.*

Martianus Imperator in Orat sua ad Concilium Chalced. Act. 4: dixit. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constātini Synodo interesse voluimus.*

Hilarius Pictauiensis Episcopus Constantio Imp. obiecit sic, lib. ad eundem. *Prouideat* Clemētia tua, vt ad omnes vbique iudices Prouinciarum, ad quos sola cura publicorum negotiorum pertinere debet, scribatur; ne post hac præsumant, atque vsurpent cognoscere causas *Clericorum*.

Augustinus de lib. arbitrio tomo 7. de humanis & Sacris legibus differens ait. *Quid* deinde censes legem temporalem iubere, nisi vt hæc quæ ad tempus nostra dici possūt, quādo eis homines cupiditate inhærent, eo iure possideant, quo pax & societas humana seruetur, quanta in his rebus seruari potest? &c. Satis est enim videre, non vltra porrigi huius legis

gis potestatem in iudicando, quàm vt hæc vel aliquid horum adimat, atque auferat ei quem punit vel metu coerceret *etc.*

Theodosius iunior Imp: in epist. ad Ephesinam Synodum scribit, se Comitem Candidianum mittere, vt adsit Sanctæ Synodo; sed ea lege & conditione, vt cum quæstionibus & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidũt, nihil commune habeat, quia nefas est, vt qui sanctorum Episcoporum Cathalogo ascriptus non est, Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus sese immisceat: sed eum tantùm ad ea quæ turbationem causare poterãt tollenda, delegasse.

Leo Papa in epist. ad Martianum Imp. quę habetur tertia parte, Concilij Chalced. ait. *Habeat* sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestrę fruatur Imperio: alia tamen est ratio rerum sęcularium, alia Diuinarum: nec præter illam petram, quã Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio.

Symmachus in Apologia aduersus Anastasium Imperat. quem communione excluserat ob Acacij causam. inquit. *Conferamus autem*

norem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum &c, tu humana administras, ille tibi diuina dispensat: itaque vt non dicam superior, certè æqualis honor est.

Basilius Imperator ad octauam Synodum Act. 10, ait. *Laico* cuicunque *nulla ratione* de Ecclesiasticis causis disputandi, aut vniuersam Ecclesiam Oecumenicamque Synodum oppugnandi fas esse dico. Hæc enim excutiẽdi, & in vtramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum est officium: quibus à Deo ligandi, & soluendi potestas est concessa. nam laicus & si omni pietatis & sapientię laude pręstet, tamen laicus est & ouis non *Pastor*.

Nec consimiles testes multiplicabo, ne lectori molestiam afferam. euidens enim est apud rectos & sensatos homines, Principibus laicis nullã creditã fuisse spiritualẽ potestatem, quia omnem naturæ ordinem superat. quam Christus Dominus Petro & Apostolis sub metaphora ligandi, soluendi, & pascendi tribuit; nec tunc Regum mentio facta fuit: ergo Principibus laicis leges Ecclesiasticas condere non

licet

licet, ad tuendos autem Canones leges dare decet: imó tenentur, quia sunt oues Christi, & Ecclesiæ filij: & hoc dicebat Leo epist. 81. ad Leonem Imp. *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Si autem prǽter præsidium & tuitionem in rebus huiusmodi, ius habere sibi persuadent, errant: nam oues suas Saluator non commisit Cęsari. Et Concilium Chalced. Act 4 iuré dixit. *Contra Canones Ecclesiæ nihil pragmaticum valet*. Et Constitutiones Iustiniani in iudicijs Ecclsiasticis viguerunt, quia secundum Canones latæ fuerant. cùm autem hæc Constitutiones Canonibus aduersantur, nullę sunt. adest pro hac veritate Constitutio Valentiniani 3. L. priuilegia 12. C. de Sacrosanct. Eccles. & Constitutio Marciani edita anno D. 454 á qua abire non licet. *Omnes*, inquit, *Sanè pragmaticas Sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ & ambitionis elicita sunt, robore suo et firmitate vacuatas cessare præcipimus*, igitur quæ Religionis sunt ordinare, constituere, ac iudicare, ad temporales Principes minimé pertinet.

Obijcit deinde Grotius morem Ethnicorũ

qrincipum, qui ſupremum ius in Religione Puam habebant tenuerunt: & hoc factum eſſe, monet, quia naturæ lumen id faciendum oſtēdit.

Reſpondeo exemplum Ethnicorum Principum aptiſſimum eſſe pro Grotio & Grotianiſtis, qui cum extra Chriſti Domini Eccleſiam ſint, cum cæteris hæreticis, ſimiles *facti* ſunt Ethnicis & Paganis, vt Tertullianus lib. de præſcriptionibus hæret. & cęteri veteres Patres docent. at ex natura rei Ethnicorum exemplũ nullius eſt momenti. Propenſio autem illa Ethnicorum Principum ad imperandum circa Religionem, à natura deſtituta & deprauata ortum duxit, quæ ad dominium exercendum etiam immoderatum ac inordinatum tendit, non autem à natura, cæleſti lumine Chriſtianæ fidei illuminata, quæ docet & dirigit hominem ad Deo parendum, præcipienti, cæleſtia ac diuina, & eorum miniſtros venerandos eſſe & digniora eſſe cæleſtia ac reuelata diuinitus, rebus naturalibus ac temporalibus: & Poteſtatem altioris ac dignioris ordinis diuerſam ac nobiliorem eſſe Poteſtate quæ ſuper temporalia iuriſdictionem habet: & ſicut hæc diuerſæ ordinationis ſunt, ſic Principes habere diuer-

ſos

ſos debere. Præterea in huiuſcemodi rebus Diuino mandato ſtandum eſt: Deus autem, vt diximus, Petro & cæteris Apoſtolis hunc Principatum dedit. Pro Cæſare autem, nec verbum quidem.

Tandem cap. 1. ſic Grotius obijcit. Religio facit homines placidos, obſequioſos, patriç amantes, iuris & æqui retinentes. Et Religione ſeruatur Reſpub. vt Philoſophi docent. Et Lactantius ait. Religio homines Sacramento obſtringit, ne furta, ne latrocinia committant, ne fidem frangant &c. eſt ergo neceſſaria Religio. at pacem ac vtilitatem non infert, niſi ſupremum Religionis ius reſideat in Principe ciuilium. Si autem ab alio pendeat Principe, rixç & diſſentiones oriri oportet. ergo ſumma poteſtas circa ſacra in Principe ciuilium eſſe debet in Regno cuius eſt Princeps. Confirmat hoc ex Ioanne Pariſienſi aſſerente, poſſe Principem gladio punire poteſtatem ſpiritualem, ſi damnum inferat Reipub. quia pax Regni aliter haberi nequit.

Reſpondeo falſum omnino eſſe Religionē pacem ac vtilitatem non inferre, niſi ſupremū Religionis ius reſideat in Principe ciuilium & Sæcularium rerum: Pax enim ſeruatur ſi vterque

que limites potestatis suæ non transgrediatur: & Deo limites distribuenti prębeatur obediē-tia & obsequium. Vtilitas autem, & Religionis integtitas haberi non potest, nisi adsuerit vna summa Potestas à Deo constituta quę vniuersæ Religioni pręsideat vbique Regnorum. nam Rex vnus in Regno suo, ea quæ Religionis sunt vno modo definiet ac iudicabit, Rex alter in altero Regno alio modo controuersias Religionis dirimet: & sic Religionis integritas peribit, & pariter vtilitas: nam Religio cùm adulteratur, & vera non est, vtilitatem pro tē-porali & pro æterna felicitate assequenda conferre non potest. Quod experientia constat. nam Constantinus Imp. Catholicus fuit: Cō-stantius Arrianus; Iulianus Paganismum & idolorum cultum reassumpsit. nunc temporis Principes, quidam Catholici & optimi sunt, quidam Caluinistæ, alij Lutherani, Euangelici alij dici volunt & Reformati &c. Religionis ergo excidium adest, quia Principes ius circa Religionem vsurpant: & inde oriuntur bella, rebelliones, rixæ, contentiones, odia, dissentiones, & quod pessimum est, animarum interitus: quę omnia remouentur, posito in Christiano Orbe Principe supremo circa sacra; qui

Roma-

Romanus. est Pontifex Petri successor, qui vniformiter vbique locorum integritatem ac veritatem Religionis custodit & seruat. Deus autem noster, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter disponens omnia suauiter, hæc omnia nouit: idcirco Petro suas cōmisit oues, non autem Principibus laicis: homo autem arrogans & blasphemus, contra Deum factorem suum præsumit, & diuinam prouidentiam, quę hæcq; disposuit, arguere audet.

Quòd autem Princeps laicus contra Principem Ecclesiasticum gladio vti non debeat nec valeat, manifestum est, quia illi non subest; imò ouis illius est, qui Pastor est á Domino cōstitutus. Si autem inferiores Ecclesiæ ministri pacem in Regum laicorum ditione turbauerint, ad tribunal summi Pastoris deferendi sunt vt iudicentur, & á Regno expellendi, non autem gladio puniendi: quia ministri Regni cælorum iudicandi non sunt á ministris Regni terreni: non enim decet, & Deo vltionum, cuius sunt ministri, affertur iniuria.

Caput Secundum Imperium & functio cui Imperatur differunt ad inuicem.

NOn esse Architecti, qua Architectus est, operi manum admouere, inquit Philosophus: quia Architecti est, secundum rectam rationem vnicuique quæ facienda sunt præscribere: sic Imperantis non est imperata exequi. quamobrem á simili infert Grotius Regẽ & optimates præesse functionibus Religionis, sed ministros Religionis cæteros homines esse debere.

Concedit etiam Ecclesiarum Pastores, vt Pastores sunt, non esse summarum Potestatum Vicarios: illis tamen subditos esse vult, etiam in sacris functionibus: affert exemplum de medicis in Ciuitate degentibus, qui artem medicam á Principe non accipiunt, Principi tamen subijciuntur. Subdit autem Pastores tunc esse summarum Potestatum Vicarios, ac delegatos, cúm imperio, & iurisdictione vtuntur. Quia autem Reges à Sacerdotibus consilium quærunt, non putent, inquit, Sacerdotes esse Rege Superiores: nam Reges Consiliarios audit,

dit, nihilominus Regibus Consiliarij non præsunt, nec Rege maiores sunt.

Exequat ergo Grotius Ecclesię Pastores Artificibus, qui Regibus subduntur, non emanatione artis & muneris, sed subordinatione. Pastorum munus nō à Principibus, sed à Christo emanare fatetur, hac tamen conditione, vt munus Pastoris, & ipse Pastor Principi sit subiectus. Tribus ergo Propositionibus hæc Grotij opinatio exprimitur: Prima est: Pastores Ecclesiæ, vt Pastores sunt, nullam habent iurisdictionem super eos quos pascunt. Secunda, Pastores non sunt Regibus maiores ac superiores. Tertia, Pastores, & illorum munus circa Sacra Regibus & Optimatibus sunt subiecti.

Hæc autem omnia pugnant cum Euangelio, & verbo Dei expressè opponuntur. nam Petro dictum est Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo, & quodcunque solueris &c.* Quæ metaphora ligādi & soluendi, supremum Principatum infert: nam Principis est ligare, & soluere, non funibus, sed legibus, sic enim Principes ligant: dicit autē non hoc & illud, sed *quodcunq;* hunc autē horū verborū fuisse legitimū sensum, vniuersa Catholica Ecclesia ab initio testimoniū redidit

Ioan. capit. vlt. Petro dictum fuit á Domino. *Pasce agnos & oues meas*. vt autem Saluatoris similitudo subsistat, Petrum *vsque ad consummationem sæculi* in successoribus suis, omnium & quorumcumque Christianorum, qui ouis Christi nomine gaudent, Principem esse, necessariò asseuerandum est. nam nullo modo ouis á potestate directiua, & coerciua Pastoris eximi potest: vel ergo omnes christiani, etiam Principes, Petro sunt subditi, vel metaphora Christi Dei nostri est inepta, quod affirmare blasphemum est: enimuero si Petri successor Cæsari, & cæteris Potestatibus debet esse subiectus, Saluator non similitudinem Pastoris, sed Oratorum, Medicorum, & Consiliariorũ tenebatur assumere: Et Dauid Rex, cui vt esset Rex dictum fuit, *Tu pasces populum meum Israel*, super Hæbreos nullam obtinuisset potestatem, sed Oratoris, Medici, vel Consiliarij munus accepisset.

Matt. 16 Petro dictum est. *Tibi dabo claues Regni cælorum*, idest Ecclesiæ, quæ in Scripturis Sanctis Regnum Cælorum pluries denunciatur. *Suscitabit Deus Cæli Regnum* Dan. 2. *Simile est Regnum cælorum sagenæ* &c. *grano sinapis* &c. *decem virginibus* &c. at clauium meta-

tanpora potestatem significat, quia qui claues habet, aperire & claudere, probare, & reprobare, intromittere & reijcere potest: hæc autem apud viros sensatos potestatem præseferunt: at quomodo qui super vniuersam Ecclesiam claues á Christo Domino suscepit, inferior sit ac subditus vnius Regni Principi, non video: & qua fronte Grotius huiusmodi Virum, tot nobilibus similitudinibus circumscriptum, medicis, & artificibus assimilare audeat, valde miror.

Matth. 17. Saluator noster, vt principio diximus, expressè docet Petrum Cæsari tributum soluere non debere, etsi Cæsar tunc Ethnicus esset; & ad remouendum scandalum solui tributum permisit: tributum autem á subdito solui debet, & qui subditus non est tributum soluere nen tenetur. ergo Petrus quia immunis à tributo, prout de iure, nõ est Principibus laicis, quos summas Potestates Grotius vult appellare, subiectus.

Quærit deinceps, possit ne Imperiũ & Functio sacra in vna Persona consistere? Respondet posse, quia potest idem esse Cantor & medicus, neque tamen aut canendo medebitur, aut medendo canet: quod probat pluribus exẽ-

plis

plis, sacris & profanis. & subdit, licét Apostolus ad Heb. 5. dicat. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* tunc, inquit, Apostolus Sacerdotes Mosaicę legis alloquitur, non autem eos qui ante & post legem Moysis fuerunt. sed hæc ad rem nostrã nil referunt: nam vt diximus, quod Dominus in nouo Testamento statuit, tantúm perpendendum est, & executioni mandandum.

Obseruat postea Ministros noui Testamenti, Sacerdotes raró appellari, vt sciamus, inquit, à Sacerdotibus Leuitici generis ad ministros, & præcones Euangelij argumentum ducere non licere, cum magnum sit discrimen. Christus autem & Apostoli ad hoc nomine abstinuerunt, & hoc non sinè causa.

Respondeo, Apostolos id fecisse, vt Ecclesiam à Sinagoga distinguerent, ne simile aliquid introducere viderentur, quod ad legem Moysis abrogatã spectaret: at postquam Hierusalem euersa fuit, & Templum combustum, & memoria veteris Templi, & Sacerdotis abolita, passim cæperunt Sancti Doctores, nomine Templi & sacerdotis vti: quia occasio nõ aderat credendi Iudaicas cæremonias adhuc permanere. attamen sicut Isaiæ cap. vlt. legimus

mus. *Et annunciabunt gloriam meam Gentibus &c. & assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus*. & alibi: nam Apostolus ad Heb. ait *Translato Sacerdoto, necesse est vt & legis translatio fiat*. Sacerdotium ergo translatum dicit, non abrogatum & irritum: sic de facto antiquissimi Ecclesiæ Patres his vsi sunt nominibus, vt Iustinus, Ignatius Antiochenus, Tertullianus, & alij.

Et Cyprianus lib 4. epist 9 ait, nunquam Dominum nec Apostolos, Pōtifices & Sacerdotes Iudæorum repræhendisse nominando eos Pontifices & Sacerdotes, sed solùm sub nomine scribarum & Phariseorum, ne cathedram & Sacerdotium obiurgare viderentur: & vt moneret nos, semper deberi honorem Sacedotio & Pontificatui, etiam si fortè Persona quæ cathedram habet, sit minus bona. ex quo intelligimus huius tēporis hæreticos, qui passim in Episcopos, & Sacerdotes, & pręcipuè in ipsum summum Ecclesiæ Pontificem inuehuntur, nihil habere commune cum moribus Domini & Apostolorum.

Quærit deinde Grotius an sub lege euangelica summum Imperium, & Pastoris munus, quod Sacerdotium appellatur, in vnam Personam

nam rectè coalescant. Propugnatores, inquit, Romani Pontificis affirmant. sed Osius cordubensis apud Athanasiũ ad sol. vitam agentes ait. *Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu Sacrorum, & thymiamatum habes potestatem Imperator.* & Gelasius Episcopus Romanus epist. 8. ex quo sumpsit Nicolaus, inquit. *Fuerunt hæc ãte Christi aduentum pariter Reges & Sacerdotes vt Melchisedech, sed cum ad verum ventum est, sic Deus munera discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperialibus dispositionibus vterentur.* Hanc veritatem probatam dicit Grotius per illud 2. Tim 11. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* & cum cura magna sit, vnus vtrique muneri non sufficeret, sed succumberet.

Addit tamen, quód & si munera sint diuersa, Rex potest Sacerdotibus præesse: & idcirco Imperatores aliquando Episcopos, Pontifices, & Sacerdotes enunciatos fuisse. Et sexta Synodus Oecumenica cum laicis prohiberet ad altare, hoc est ad mensam Dominicam accedere, excepit Imperatorem. Et Balsamo Episcopus Antiochenus notat Imperatorem ceræ chara-

charaterem imprimere, quod eo tempore Episcoporum erat: Et circa ſacra potuiſſe etiam Populos inſtituere.

Sed Grotius incidit in foueam quam fecit; aſſerit enim Regi laico ius ineſſe imperandi circa ſacra, ſed repugnare Paſtoribus ius præſidendi circa temporalia, quia cura magna eſt, & vnus vtrique muneri non ſufficeret, ſed ſuccumberet. numquid Rex laicus, homo eſt alterius ſpeciei & roboris & virtutis á Paſtoribus? ſi Paſtor vtrique muneri non ſufficit, ſed ſuccũbit; nec Princeps laicus vtrique oneri ſufficiet, ſed ſuccumbet.

Occurret Grotius aſſerens Principem laicũ præſidere tantúm circa Sacra, non autem ea miniſtrare. & catholici hoc idem pro Romano Pontifice affirmant; nam regimini rerum ſæcularium præſidet, & Regnum gubernat per Præfectos, non miniſtrat autem ea immediatè: quia hoc modo vtrique muneri non ſufficeret, ſed ſuccumberet, & Apoſtoli admonitionem non ſeruaret, qui non præſidentiam in genere negotiorum ſæcularium prohibet, Paſtoribus, ſed miniſterium immediatum, & proximum:

Oſius autem, Gelaſius, & Nicolaus ea dixe-

runt, vt Imperatores monerent, ne iure Imperij sibi persuaderent, ius circa sacra etiam obtinuisse; sicut ipsi nouerant, iure Pastoris munus Imperandi sibi non contingere: non docuerunt autem repugnare Pastori Ecclesiastico generalis quędam Pręsidentia super temporalia Regna, si illi fuerint tributa.

Ad id quod subdit, Imperatores *scilicet* aliquando Sacerdotes, & Pontifices denunciatos esse, respondeo, id proclamatum esse á Synodi Patribus, vt illorum pietatem, & Christianã diligentiam in sacris patrocinandis commendarent, non vt inter Pontifices ac Sacerdotes eos connumerarent, vt sensatis hominibus ea perpendentibus, patet.

Quamobrem aptè Maximus Abbas respondit Constãtinopolitano Magistratui illi impiè suadenti, vt editam legem seu typum á Constante Imp. de professione vnius voluntatis in Christo, suo consensu firmaret: vt habetur in Collatione Maximi cum Principibus. *Quoniã Sacerdotum est quærere ac definire de salutaribus Ecclesiæ dogmatibus*. Replicant illi. Ergo non est omnis Christianus Imperator etiam Sacerdos? Respondit Maximus. N*on est, neque enim adstat altari, neque post sanctificationem panis*

panis, exaltat eum dicens, Sancta Sanctis. neque baptiZat, neque Chrismatis confectionem patrat, neque facit episcopos, vel Presbiteros, aut Diaconos, neque linit Ecclesias: neque indicia Sacerdotis fert, superhumerale scilicet, et Euangelium, quemadmodum Imperij coronam, & purpuram. Et quia exemplum Melchisedech, qui Rex & Sacerdos fuit, afferebant; respondit Melchisedech fuisse Christi Domini, non aliorum Regum figuram. & tandem subdit, in Altari primò mentionem fieri Cleri, & postea laicorum, inter quos Imperator nominatur: Attamen adulatio huiuscemodi Aulicorum mansit apud multos Græcos, vt Sacerdotij muneribus Imperatores implicēt cum munere docendi, quod Episcopis tam seueré vindicat Ambrosius, vt Imperatori dixerit. *Quando audisti Clementissimè Imperator in causa fidei laicos de Episcopis iudicasse? ita ergo quadā adulatione curuamur, vt Sacerdotalis iuris simus immemores?* Quamobrem Theodorus Balsamo homo Græcus erroneé & ineptè affirmat in medit. de Patriarchis, munus docendi propter vnctionis sacræ vim Imperatoribus competere, nec eidem fides est in rebus huiusmodi adhibenda, cum multa falsò recitet, & tu-

eatur. Hinc damnare cogimur Iústinianum, dum Nouella 137. de Sacra Liturgia constitutionem edidit, vt mystica verba alta, non verò demissa voce dicantur, vt moris erat.

Principes enim Christiani de rebus fidei cõtrouersis leges ferre non possunt, cum hæc sit Cathedræ Petri potestas, secundùm tenorem Scripturarum & veteris traditionis. *Vnde* perfidiam Arrij, non Constantinus, sed Synodus Nicæna discussit. Macedonium & Appollinaristas, Occidentalium libellus, & Synodus Cõstantinopoli coacta dãnauit, non autem Theodosius Imperator. Nestorij hæresim synodus Ephesina, & Euthichetis delirium, Chalcedonense Concilium, non Theodosius aut Marcianus anathematizarunt. hoc ipsi Principes professi sunt, vt ibi patet, & supra enarrauimus.

CAPVT TERTIVM.

Quousque conueniant Sacra, et profana quoad ius imperandi.

SIbi Grotius persuadet ius Imperij laicorum Principum, tam circa sacra, quàm circa profana extendí, sed hoc Lectoris recto iudicio committimus. Distinguit actiones hominis

nis in internas & externas: externas esse primariam, internas autem secundariam materiam humani Imperij fatetur: neque propter se, sed propter externas, quia in iure, *Cogitationis pœnam nemo patitur*. & Seneca 3. Benefic. *Corpora obnoxia sunt et adscripta Dominis, mens sui iuris est*.

Subdit, summis Potestatibus vim facientibus & iniustitiam, non esse resistendum; sed vt discolos sufferendos, & summas Potestates ius non habere immutandi quæ Deus statuit. quia Act. 5. legitur, Deo magis parendum quàm hominibus. exod 1. obstetrices Regi non obedierunt. nec Apostoli Concilio Synedrio Act. 5. formam tamen, & ritum circa sacra ad summas Potestates sancire affirmat. quia Ezzecchias amouet excelsa; frangit statuas, comburit lucum, & serpentem æneum. Iosias comburi iubet idolis consecrata, abolet idolorum sacerdotes. & August. epist. 48 ad Vincent ait, *Seruiant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo*. Idcirco, inquit, ea quæ in lege diuina præscripta non sunt, ad summam Potestatem decernere spectat. ita Dauid pro diuidẽda præda. & Romani imperatores pro solemnitatibus contractuum, & testamentorum innume-

numeros dederunt Constitutiones: Quod etiam fecit Dauid, Salomon & Ioas. & Iustinianus modum eligendi Pastores, Synodos cogendi, ordinem inter Pastores seruandi, & similia præscripsit. Et tandem subdit in præsenti Capite: Si summæ Potestates contra Deum insurrexerint, vel fugiendum esse cũ Elia, Athanasio & alijs: vel patienter sufferre necesse est, ad gloriæ coronam obtinẽdam. Scribit Christianum quendam olim Diocletiani crudele edictum e muro pendens lacerasse, & quia capitis pœnam dedit, Christianos dixisse tradit, iustè pœnam soluisse, quia summę Potestati sic contraire non licet.

Ex omnibus his quæ in hoc tertiò Capite Grotius enarrat, duo sunt á nobis, tanquam falsa refellenda: cætera omittimus, etsi parum apte posita & explicata fuerint. Primum est, Principibus vim facientibus & iniustitiam non esse resistendum. secundum, eisdem Principibus ritum sacrorum sancire contingere, & omnia quæ in lege diuina definita non sunt ab illis esse definienda.

Quoad primum. Vel Grotius ad subditos laicos sermonem dirigit, vel ad Pastores, & ad Pastorem summum Petri successorem: iuxta

prior em

priorem ſenſum tranſeat Propoſitio, nec nunc locus aptus eſt eam diſcutiendi: iuxta poſteriorem intellectum, propoſitio falſa eſt, quia Paſtor Eccleſiæ, cultum & legem Dei, & ſanam ouibus ſuis religionem tueri debet vſque ad ſanguinis effuſionem. & ita peruigilare tenetur, vt monet Apoſt. ad Heb cap. vlt. quaſi rationē pro animabus reddituri. ideoque Saluator noſter in Eccleſia ſua Paſtores conſtituit, vt lupos pro viribus expellant & reijciant: idcirco Ambroſius lib. 2. in cap. 2. Lucæ ait. *Aut fortaſſe etiam ille ſit Paſtor, cui dicitur, eſto vigilans, et confirma. quia non ſolùm Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, ſed etiam Angelos deſtinauit*. & Dominus per Ezzecch. c. 33. ſic ait. *Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem, et non inſonuerit buccina: et populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, et tulerit de eo animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram*. Enimuerò exemplū Saluatoris noſtri Paſtor imitari tenetur, qui fecit flagellum de funiculis, ad eijciendos ementes & vendentes de Templo. hoc flagellum aſſumpſit Ambroſius, cum Theodoſium Imperatorem propter cædem Teſſalonicæ factā

ingreſ-

ingressu Ecclesiæ prohibuit. & publicam pœnitentiam imposuit, quam humiliter egit.

Sed Grotius Pastores Ecclesiæ sic paruipēdit, vt illos medicis, pedagogis, & artificibus æxequet, nec tamen puto Ambrosium, qui fuit Galliæ Præfecti filius, & Potestatem Mediolani exercebat, munus illud voluisse dimittere, vt illius Vrbis fieret Pedagogus, si episcopatus similis est medico, & Pedagogo. Grotius enim putat sibi licere, Catholicæ Ecclesiæ episcopos, imò summum Ecclesiæ Pastorem Pedagogos constituere, at non perpendit, vel anima duertere contemnit, Potestatem ligandi, & soluendi, pascendi, & Clauium, miram ac valde venerandam secum ferre auctoritatem, ac iurisdictionem: quam optimè nouit Ambrosius vir eximiæ nobilitatis, doctrinæ, & sanctitatis: sed Grotius qui huiusmodi cōditionibus caret, illud ignorare voluit.

Audi Apostolum docentem Timotheum episcopum 1. cap. 6. *Diuitibus huius sæculi precipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo etc.* & Titum similiter episcopum cap. 2. sic instruit. *Hæc loquere & exhortare, et argue cum omni imperio. nemo te contemnat.* nunquid ad munera pedago-

rum

gorũ,an ad veram ac Regalem poteſtatem habentium deſcribenda hæc dicta tibi videntur? Et quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam ſuam, vt monet Apoſtolus, non Rectores poteſtatem habentes ſunt,ſed Pedagogi & Cõſiliarij? & quos homines primi Parentis culpa deprauati, Rectores ſeu Principes ſibi conſtituunt pro confuſione vitanda, & ad pacificè viuendum, ſummas & altiſſimas Poteſtates denunciare tantùm oportet? Audi Grotie,qui hoſtis eſt miniſtrorum ChriſtiDei noſtri,& ipſius Redemptoris hominum eſt inimicus: nã & hoc ipſe nouit, qui pro miniſtris ſuis dixit Lucæ 10. *Qui vos audit,me audit;qui vos ſpernit me ſpernit. Qui autem ſpernit me, ſpernit eum qui me miſit* Odit autem Satanas Redemptorem noſtrum, & miniſtros ſuos: nec aliter operantur hæretici, qui ſunt Satanæ miniſtri.

Principibus autem laicis nullum ius in sacris diſponendis, nec diuino, nec humano nutu contingere, cap. 1. & 2. ſatis oſtendimus.

CAPVT QVARTVM.

In quo Grotius Catholicorum rationes soluere nititur.

GRotius, Etsi Pastores Ecclesiæ à Christo fuerint constituti, & non á summa Potestate, nihilominus summæ Potestati subijciuntur. patet de Patre, qui iure naturę dominatur filio, attamen Regi est subiectus. Medicus similiter ab arte medica regulas, nõ à Rege accipit: nihiloseciusRegi est subditus. sic à simili etsi Pastores á Deo habeãt pręscriptas regulas, Regi tamen subditi sunt. imó ipsius Regis ministri à Deo habẽt regulas, vt recté iudicẽt, à Rege tamen dependent: sic de ministris Ecclesiæ affirmandum erit.

Respondeo, non ideo Catholicos docere Pastores Regibus non esse subiectos, quia ab illis Pastores non sunt constituti, & quia ab eis regulas & doctrinam non accipiunt; sed quia iure diuino sunt illis iudices, ac potestate Doctores, quorum doctrinæ parere tenentur. nam ouibus superior est Pastor: & eo qui ligatur, superior est qui ligat: & eo qui intrare contendit, superior est ille,

qui

qui ita habet Claues, vt poteſtate excludere valeat. & Diſcipulo ſuperior eſt Magiſter ille, qui ita docet, vt qui audit diuino iure obedire & ſubdi debeat, ſi ſaluari expetat. hoc diſcat Grotius. nam Paſtoribus Eccleſiæ dictum eſt: *Quodcunque ligaueris. Tibi dabo Claues. Paſce oues meas. Docete omnes Gentes etc.* omnibus autẽ laicis etſi Principibus dictũ eſt ad heb. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, et ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtri reddituri.* quamobrem exemplum Medicorum & ſimilium ineptum eſt, & ad rem non venit.

Grotius· Quod veró Paſtores non teneantur obedire Regi in his quę ſunt contra Deum nihil eis confert: nám nec homo priuatus tenetur Deum dimittere, vt Regi obediat: attamen Regi ſubijcitur. imó ipſe Regis miniſter Regi obedire non tenetur, iniquum mandãti iudicium: qui tamen Regi eſt ſubditus.

Reſpondeo, Grotium, dum non cauſam pro cauſa aſsigat, paſcere ventum, & aues ſequi volantes, vt legitur in Prouerbijs. Ratio autem quare Paſtores Principibus laicis non ſubijciuntur, ea eſt, quam in ſuperiore reſponſione attulimus.

Grotius. Etsi Ecclesia sinè summis Potestatibus esse valeat, & consistat, tamen cum illæ adsunt, eis subesse debet. quia Artes vt Artes sunt, non indigent Rege: artifices autem Regi obediunt.

Respondeo ineptam esse paritatem: quia Artifices iure diuino Regibus superiores constituti non sunt, quemadmodum *Ecclesiæ* Pastores omnibus Christi ouibus præsunt potestate directiua, & etiam coactiua, quæ à directiua insæparabilis est, teste Philopho lib. 10: Etic. cap. vlt.

Grotius. Cum Dominus Isai. 49. Ecclesiæ Reges futuros subiectos dicit, non Pastoribus Ecclesiæ, sed Christo honor ille Pebetur, qui Ecclesię est spiritualiter præsens. sicut in veteri Testamento non Arca adorabatur, sed Deus quem exhibebat.

Respondeo hoc pugnare cum verbo Dei; nam ministris Ecclesiæ illud promissum fuit, non autem soli Deo. sic enim ibi legitur. Hęc dicit Dominus Deus: *Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt: & erunt Reges nutritij tui, et Reginæ nutrices tuæ: vulto in-*

terram

terram demisso adorabunt te, et puluerem pedũ tuorum lingent. Cum dicat filios tuos, & filias tuas, non Christum Dominum sed Ecclesiam, exprimit. nec dicit erunt Reges nutritij mei, sed tui: certé ad Ecclesiam ea verba referuntur: & eo amplius quia prius immediatè dixerat. *Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata et captiua: et istos quis mihi enutriuit? ego destituta, et sola: et isti vbi erant*, quæ pro Ecclesia denunciata fuisse, manifesté conspicitur. & capit. 60. Propheta hoc idem pro Ecclesiæ ministris stilo clariore denunciat. ☞ *Surge* illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum &c. & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splẽdore ortus tui. leua in circuitu oculos tuos, & vide omnes isti congregati sunt, venerunt tibi &c. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth. ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo &c. argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & Sancto Israel, qui glorificauit te. & ædificauit te. & ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi &c. Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus,

et pi-

et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meę, et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filii eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te Ciuitatem Domini, Sion Sancti Israel. Pro eo quo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem: & Sugeslac Gentium, & mammila Regum *lactaberis*.

Hæc autem, vt ex ipso textu scripturę patet, ad Ecclesiam diriguntur, et pro Petri cathedra pręcipuè denunciata fuerunt, quæ tribunal Saluatoris nostri est in terris: cui obsequium huiusmodi á Regibus terræ exhibitum fuisse constat. sed quia Christi Domini, vt præmisimus, gloriam odit Satanas, hæreticis ministrís suis, non Regiam pascendi fideles potestatem, Pastores habere suadet, sed solã Medicorum & Pedagogorum consimilem auctoritatem. & quod deplorandum est, Reges plurimos olim Ecclesiæ obsequentes filios secum traxit, quod mihi maximé displicet, propter illorum perditionem, & gloriæ Saluatoris nostri Dei diminutionem. Consolatur autem me talem iacturam

sæpe

ſępe lugentem, quod Auguſtinus libro de vera Religione cap.8. tomo 1.docet. *Oportet* multas hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos, vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio: ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent: cúm autem foris ſunt, plurimùm proſunt, non verum docẽdo quod neſciunt: ſed ad verũ quærẽdũ carnales, & ad verũ aperiẽdũ ſpirituales catholicos excitãdo &c. vtamur ergo hęreticis, nõ vt eorũ approbemus errores, ſed vt catholicã diſciplinã aduerſus eorũ inſidias afferentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiam ſi eos ad ſalutem reuocare nõ poſſumus. & epiſt.3. tom.2. ait. *Hæreſes aduerſus nomen Chriſti, ſub velamento tamen nominis Chriſti, ad exercendam doctrinam ſanctæ Religionis, ſicut prænunciatæ ſunt, pullulant.*

Grotius. Illud quod dicunt, Imperatorem eſſe intra, non ſupra Eccleſiam, ſic intelligendum eſt, quatenus tota Eccleſia non ab vno Rege dirigitur, quia plures ſunt Principes. Eccleſia autẽ vnius Regni, illi Regi ſubeſt. Quod confirmatur, quia Regibus Iſrael omnis populus erat ſubiectus. & Paulus ad Rom. 13. ait. Omnis anima Poteſtatibus ſuperioribus ſubie-

cta esto. & Petrus epist. 1. eandam tribuit admonitionem. & Chrysostomus ad Caput. 13. ad Rom. ait. si hæc præcepta sunt sub Paganis Regibus, quanto magis fieri debent sub fidelibus:

Respondeo assumptum esse falsissimum, nam Ambrosius sic ait lib 5. epist. Orat. de Basil. *Ecclesia Dei est; non debet vtique Cæsari addici, quia ius Cæsaris non potest esse Dei Tẽplum. etc. Quid honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur etc Imperator enim intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam.* & epist. 32. ad Valent. Augustum ait. *In causa fidei Episcopi solent de Imperatoribus Christianis iudicare, non Imperatores de Episcopis.* Damasc. Orat. 2. de Imaginibus, inquit; *Christus non commisit Ecclèsiam Regibus et Imperatoribus, sed Episcopis et Pastoribus.* ergo veteres Patres, Cesarem & Reges in Regnis proprijs nullum ius circa sacra habere intellexerũt

Ad id quod subdit, nempe Regibus Israel sacra & Populum omnem fuisse subiectum: Dico, ineptum esse hunc modum differendi, quem Grotius habet: nam supra dicebat non esse trahendum exemplum á veteri ad nouum Testamentum circa munus & nomen sacer-

dotale

dotale, quia nomen hoc quod frequenter in veteri Testamento habetur, in nouo Apostoli vsi nō sūt. Cur in re huiuscemodi à veteri ad nouum Testamentum argumentum ducere non licet: & in iure Regio quod Principes Israelitę super sacra habuerūt, vt ipse opinatur, ad noui Testamenti Principes transire licebit? numquid quia Grotio sic placet, ita asserendū erit? vel quia illud confirmat, & hoc suam opinationem infirmat primum tenendum, & secundum respuendum erit? sed abeat huiusce modi differendi modus.

Quamobrem pro ueritate propugnanda, animaduertendum est, totum Corpus Reip. Hæbreorum ex Rege, Pontifice, sacerdotibus, leuitis & Concilijs ita compactum fuisse, vt Regnum sacerdotale diceretur. Munus tamen Regum in bellis gerendis & regni administratione fuit. ad Pontificem autem rerum sacrarū administratio in Tēplo pertinebat. Contentiones de rebus sacris & profanis, ad Regem Pontificem, & Concilia deuoluebantur, itaut esset quædam iurisditionum commixtio. quamobrem Exodi 16. Dominus dixit. *& vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & genis Sancta!* At huiusmodi legalia euacuata sunt, vt supra de

Ii mon-

monstrauimus. ex his ergo nulla valebit illatio, nec inde licet aliquid agendum necessarió inferre: cum quæ Dominus in nouo Testamento constituit, obseruari debeant; non autem quæ in veteri facta & mandata fuerunt. sensũ autem Pauli ad Rom. & Petri in sua epistola, & Chrysostomi in suo Comment cap, 1. exposuimus.

Grotius. Cum Augustinus ait, seruire Reges Ecclesiæ, intelligendus est pro vtilitate afferenda, non autem pro subiectione tenenda: quo sensu Reges serui dicuntur Populorum nam Concilia generalia salutabant Imperatores sicut Dominos, non vt subiectos sibi.

Respondeo nullum Cõcilium generale cognouisse Imperatorem vt Dominum, ratione potestatis & iurisdictionis, sed tantùm ratione patrocinij & obsequij: & hoc modo docet Augustinus Reges legibus suis Ecclesiæ seruire debere. At circa sacra, si Reges saluari expetant, Petri cathedræ parere, eique obedientiam & obsequium præstare debent.

Grotius. Quia Pastor Ecclesiæ habet Clauium vsum super Regem, non inferre licet illum super Regem esse: imbecille enim est hoc argumentum: nam Rex indiget Coquo, Pasto-

re,

re, vestitore, agricola, & Medico qui mandat regulas à Rege infirmo seruandas: Chirurgus secat membrum Regis: & Consiliarius Regem consulit: nihilominus hi omnes subsunt Regis imperio. Ea autem quæ dignitatem significant, Christo, non autem ministris suis applicanda sunt. Ministri enim sunt auctoritatem suadendi habentes, more medicorum & Iuristarum; non autem potestatem iubendi.

Respondeo, quia Grotius cum suis Grotianistis homines sunt nomine Christiani, re Pagani, cum sint extra Catholicam Ecclesiam varijs hæresibus conspurcati, rectè & aptè proprios sectarum ministros coquinarijs, agricolis, chirurgis &c. illos assimilant: quia sicut verè sacra non habent, sic iure sacra ministrandi carent. Pastores autem & sacerdotes Catholicæ Ecclesiæ magnam venerandamque habẽt Potestatem, vt infra dicemus: idcirco similitudo illa inanis est & futilis.

Tanta est Pastorum Ecclesiæ dignitas, vt si fiat illis iniuria, illicò ad Christum Vnigenitum Dei transeat, ipse enim sic de ministris Regni sui contestatus est Luc. 10. *Qui vos audit me audit; qui vos spernit, me spernit: qui autem spernit me, spernit eum qui me misit.* Sed nec te-

net similitudo medici cũ Ecclesię Pastore, quia medicus vt medicus, nullam habet potestatem & iurisdictionem super eum quem medetur: cum solùm media apta infirmo applicare teneatur, eumque consulere vt nociua euitet, & salutaria teneat. at Pastor ab initio Ecclesiæ sic Christi oues pascit, vt si opus fuerit, illas ita puniat, vt etiam à Christi ouili per sententiam anathematis expellat & abijciat: & talis est Pastoris sic iudicantis Potestas, vt in Dei omnipotentis tribunali in cælestibus illicò firmetur: iuxta præuium firmũque ptomissum Matth. 16. & Matth 18 *Quodcunque ligaueris &c.* at quę coquus, medicus, &c. statuunt, non in Cælo stabiliuntur, sed tantùm apud Pharmacopolas & in Tabernis. quamobrem hæc hęreticorum paritas inepta est.

Cum autem inquit. Ea quæ dignitatem significant, Christo, non autem ministris sunt applicanda. Peto à Grotio, quod nam discrimẽ est inter ministros Tabernarũ, & ministros Regios qui sunt legati, & potestatem regiminis exequuntur? magnum equidem discrimen adstat. Cur te non pudet Grotie ministros Christi, & cælestium mysteriorum sic nihili facere vt chirurgis exæques, & ministros Regum post-

postponas? numquid Reges terræ maiores sūt Vnigenito Dei? numquid Fori acta, digniora sunt Sacris fidei mysterijs? ignoras quia dignitas ministrorum crescit ob dignitatem eorum, quorum sunt ministri, & rerum ac negotiorum quæ tractant. Agenda salutis æternæ sunt ergo actis forensibus posthabenda? non legisti veteres Ecclesiæ Patres quæ de dignitate Pastorum denunciauerunt? non ait Apost. Heb. vlt. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. & ad Titum doce & argue cum omni imperio. & ad Tim. Diuitibus huius sæculi præcipe &c. numquid Medicis, & Consiliarijs hæc est tributa potestas, & hic imperandi modus? o terque quaterque miserabiles homines! Christi fideles eo maiori pietate, & sensu diuina sapiunt, eo amplius ministros Domini venerantur: at qui extra catholicam Ecclesiam vagantur, & ad ritum Tabernarum munera Ecclesiastica verterunt, non capiunt verbum hoc Ignatius enim Martyr & Episcopus Antiochenus epist. ad Smirnenses ait. *Sacerdotium est summa omnium bonorum quæ in hominibus consistunt: & si quis inhonorauerit eum, inhonorat Dominum Iesum Christum primogenitum omnis Creaturæ*. Apostolus tra-
dit

dit homines Satanæ 1. Cor. 5. peruersos anathemate ab Ecclesia Christi resecat Gal: 1. Tito, & Timotheo ius Episcopos ordinandi regendi, iudicandi, Vrbibus præsidendi tribuit, Christianis Populis Legem exhibendi temporalia bona pro victu ministrorum Ecclesiæ cum imperio imponit 1. Cor. 9. sic dicens. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos vestra carnalia metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare nō potius nos?* & auctoritate id sibi licere affirmat sicut laicis Principibus. sic enim subdit. *Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* Qui autem hi sunt qui hoc idē iubendi ius habent, nisi Principes laici? & sequitur. *Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* & cætera huiusmodi: quę nunc ab illorum successoribus exequuntur: hoc autem fieri nō potest auctoritate suadendi, vt Grotio placet: sed vera ac summa potestate iubendi. Prudens Lector edicat,

Grotius. Potestas aut est summa: & hanc non habent Ministri Ecclesiæ: aut est emanãs à summa Potestate, & hæc Ecclesię ministris data non est, quia á ciuili Potestate ius Sacramini-

ministrandi non sumunt, quod à Christo habet originem. Nec in illa Ecclesiastica functione Regis delegatam potestatem tenent: ergo nullam habent Potestatem, nisi ostendẽdi, & regulandi, more medicorum. Et ideo Saluator Luc, 10 Apostolis potestatem vetat, & prohibet: quia illam nec superiorem nec delegatam habent: idcirco in Euangelio, Lux, dicuntur. *Vos estis lumen Mundi*, quia veritatem tantùm ostendunt. Nec illam habent Potestatem, qua pollent Patres in filios: quia Ecclesiæ ministri non sunt reales, & naturales Pates: ergo nullam habent Potestatem.

Respondeo Potestatem duplicem esse, laicã seu Ciuilem, & Ecclesiasticam seu sacram: priorem Ministri Ecclesiæ, vt tales sunt, nec summam nec vt emanantem habent; posteriorem autem omnimodam, & plenissimam retinent, quo laici penitus carent: & quia oues, & quia laici sunt. Prior potestas á iure Gentium proximè procedit; remotè á Deo, quatenus ordinem, & iustitiam hominum mentibus naturali lege sanciuit. Posterior potestas á Christo Domino originem trahit. cum infert, ergo nullam habent potestatem, inepta est huiusmodi illatio: vt in superiori responsione demon-

straui-

strauimus. Cum ait, Saluator Lucæ 10. Apostolis potestatem vetat & prohibet: Dico duplicem in Principe potestatem inueniri posse, tyrannicam, & vsurpatam more Ethnicorum & Gentilium Potestatum: & rectam iuxta diuinas regulas. Prior 1. Reg. 8. exprimitur illis verbis. ❧ *Hoc* erit ius Regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas & olilueta tollet, & dabit seruis suis. sed, & segetes vestras & vinearũ reditus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis suis. seruos etiam vestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit: vosque eritis ei *serui*. ❧ & hanc Ecclesię ministris prohibet Christus Dominus Matth. 20. & Luc. 22. cùm inquit, *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Posterior verò habetur Deut. 17. his verbis: ❧ *Cum* ingressus fueris terrã, quam Dñs Deus

tuus

tuus dabit tibi, & possederis eam, & dixeris: Cõstituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrũ tuorum. Nõ poteris alterius Gentis hominem Regem facere: qui non sit frater tuus. cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos nec reducet populum in Ægiptum, equitatus numero subleuatus &c. non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio Regni sui, describet sibi *D*euteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus leuiticæ Tribus &c, Nec eleuetur in superbiam cor eius super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram *&c.* ☞ & hanc seruatis seruandis Pastoribus Ecclesiæ tribuit.

Cúm Grotius subdit. idcirco in Euangelio *Lux* dicuntur. *Vos estis lumen mundi.* quia veritatem tantúm ostendunt. Dico, si Saluator noster hoc tantúm dixisset: Et alibi illos Pastores cum iure ligandi & soluendi, & Clauium, non denunciasset, vera esset Grotiana illatio: sed vtrumque dixit: lucem eos esse ad ostendendam veritatem, & Pastores, qui virga er-

KK ran-

rantes oues dirigerēt & percuterēt, prout opus esset. Cum tandem inquit. Nec illam habent potestatem, quam tenent Patres in filios, quia Ecclesiæ ministri non sunt reales & naturales Patres, Respondeo, Ecclesiæ ministros non naturalis Patris habere potestatem, quia Patris nomen, quod Pastoribus & Sacerdotibus attribuitur, dilectionē paternam, quam circa oues Christi tenere debent, innuit.. Potestas autem Pastorum est veri Principatus potestas, quam tamen paterna charitate exequi debent. pluries enim diximus, illud *Pascere*, Regere significare: quia Dauidi, vt esset Rex dictum est, *Tu pasces populum meum Israel.*

Grotius Coactio ministris Ecclesiæ interdicitur: ideo Paulus 1. Tim, 3. Tit. 1. docet Episcopum violentum esse non debere. Et Chrisost. ait. *Homo si à fide fuerit abductus, multa imminet sacerdoti patientia & industria, quia non potest errantem vi reducere, sed persuadere conabitur, vt ad fidem rectam reuertatur* Nec Ecclesię ministri possunt obligationem inducere, quam Regibus dat Chrysostomus, Episcopis adimit. Christus ipse statū suum seruilē respiciēs, negat regnum suum esse de hoc mū do. imò quod minus est Luc. 12. negat se iu-

dicem

dicem constitutum. Quamobrem Chrisostomus ait, Non est data nobis talis potestas, vt auctoritate sententiæ cohibeamus homines á delictis. Et Bernardus de Consi. lib. 1. inqut. *Stetisse ego Apostolos iudicandos lego, sed ipse iudicantes non lego*, Hanc enim veritatem ostendunt tituli quos Pastoribus sacra scriptura tribuit: vocantur autem legati, nuncij, Præcones. at horum non est quēquam suo imperio obligare, sed alienum Imperium notum facere, Ad docendum diriguntur Pastores, inquit Crisostomus. Apostolus 1. Cor. 11. De virginibus nullum mandatum habebat aut imperium Domini, ideo imperare non audet, sed consulit, docens oppositum operantes, non pecccare & 2. Cor. monet, vt fideles ergà pauperes liberales sint: consulit autem. non præcepit.

Respondeo, coactionem cum violentia & tyrannide ministris Ecclesiæ vtique interdictã fuisse: coactionem autem quæ potestatem præceptiuam cum vi obligandi significat, illis minime fuisse prohibitam: sed expressé traditam Matth. 19. & Matth. 18. *Quodcunque ligaueris &c. & quacunque ligaueritis &c.* non funibus, sed legibus: sic enim Principes ligãt. Act 15 *Apostoli & seniores fatres &c. Visum est enim*

Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quā hæc necessaria: ut abstineatis etc. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei *à fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans* Ecclesias: *præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & senio rum,* Quamobrem Paulus ad Heb. 13 fideles monet debere eos ministris Ecclesiasticis præcipientibus obedire. *Obedite Prepositis vestris & subiacete eis. ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Ad illud Chrisostomi dico, verum esse, Ecclesię ministros patientia & industria vti debere ad incredulos reuocandos ad Ecclesiam, & ad Catholicam venerandam atque tenendam fidem: at inde inferre, Ecclesiæ Pastores super Christi fideles oues potestatem non habere, inepta est illatio. Nam idem Chrisost. hom. 22. super 2. Cor. tomo 4 ait. *Ad hoc potentiam accepimus vt ædificemus: quod si quis obluctetur & dimicet: atque ita affectus sit vt nulla ratione sanari possit, tum demum altera quoque facultate vtamur, eum diruentes ac prosternentes.* idcirco Apostolus 1 Cor. 5 inquit *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* Oues autem Christi à Pastoribus regi & iudicari debent, sic iubente

Deo

Deo, vt monet Apost. Act. 20. at regendi ius, potestatem directiuam & coerciuam necessario infert: Et hac potestate Apostolus Ecclesię leges dabat. dicens 1. Tim. 3. Episcopum eligendum in repræhensibilem, vnius vxori virum &c. 2. Cor. 11. Vt mulieres velato capite orent poptcr Angelos 1. Tim. 5. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor &c. & subdit. Aduersus Præsbiterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus: & infra. Præcipio tibi coram Deo, vt serues mandatum &c. Diuitibus huius sæculi præcipe &c. Perpende Grotie has leges, & hæc præcepta, & potestatem præcipiendi, & leges ferendi. etenim eiusdem sunt tenoris leges ciuiles & eodem ritu Imperatores illas constituunt & promulgant, vt Iurisperiti norunt.

Pastorum enim coactíuam Potestatem nouerunt sancti antiquæ veteris Ecclesiæ Patres: Quamobrem Augu st. epist. 50. lit F. tom. 2. inquit *Si Ecclesia vera ipsa est, quæ persequutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo, quam Ecclesiam significabat Sara, quando persequutionem faciebat ancillæ liberam quippe matrem nostram Cælestem Hierusalem, idest veram Dei*

Eccle-

Ecclesiam in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. & infra. *Si boni & Sancti nemini faciunt persequtionē, sed tantummodo patiuntur, cuius putant esse in Psalmo vocem vbi legitur, Persequar inimicos meos, & comprahendam illos, & non conuertar donec deficiant?*

Ambrosius in Comment. super epist. 2. ad Cor. cap. 10. tomo 3. inquit. *Sicut enim Imperator per milites suos vindicat suum Regnum: ita & Saluator per nos seruos suos defendit vnius Dei professionem, & disciplinam.*

Gregor. libr. 1. epist: 2. *Si ea de quibus vehementer Deus offenditur, insequi vel vlcisci differimus, ad irascendum vsque Diuinitatis patientiam prouocamus.*

Ex his enim quæ diximus, Pastores Ecclesiæ præcipere & obligare posse, constat. Cúm Grotius subdit: Christus ipse statum suum seruilem respiciens, negat Regnum suum esse de hoc mundo. imó quod minus est Luc. 12. negat se iudicem constitutum. ineptissimè loquitur. Nam Saluator noster formam serui, accepit, vsque dum semetipsum Deo hostiam in ara Crucis offerret. at post resurrectionem suam non formam serui, sed veri Regis assumpsit:

idcirco

idcirco Apostolis dixit Matth. vlt *Data est mihi omnis Potestas in Cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Potestatem autem pollicitus est petro & Apostolis, cùm formam serui tenebat. at illam actu tribuit cúm formam cœlestium & terrestrium Regis obtinuit. nam post resurrectionem suam dixit Apostolis, *Sicut misit me Pater ita ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Pasce agnos, et oues meas.* quod illud Matth. 16. includit. *Quocunque ligaueris etc.* quamobrem illatio Grotiana falsa est, & Apostoli deinceps iudices constituti sunt fidelium qui prius Piscatores fuerant. Iudicia autem Apostolorum quæ fuerint, supra enarrauimus: & 1. & 2. Cor. ad Tim. ad Titum in Actis, & alibi conspicué enarrantur.

Ad illud. Pastores Ecclesiæ legati, nuncij, Præcones dicuntur, at horum non est quemquam suo imperio obligare, sed alienum Imperium notum facere. Dico, legatos, nuncios, & Præcones duplicis generis esse: vel à Rege missi, qui actu, suo præsidet Regno: vel á Rege qui extra suum Regnum abijt in regionem lõginquam: priores alienum imperium notum

faciunt

faciunt, non exercent: posteriores notificant, & ob Regis absentiam Regis exequuntur potestatem: Pastores Ecclesiæ non sunt prioris, sed posterioris generis: nam Christus Dominus Rex suę militantis ecclesiæ, naturali præsentia ab hoc Regno abest, quapropter Pastores Regiam illius potestatem annunciant, & exequuntur. ideoque Christus Dominus dixit Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit etc.* quia Potestas Pastorum Ecclesiæ est eiusdem Christi Regia Potestas, velit nolit Grotius.

Illud 1. Cor. 11. & 2. Cor. quod Grotius affert, ineptum est. quia Dominus virginitatis virtutem consulit dicens. *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter Regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Apostolus contra Domini voluntatem, virginitatem vt præceptum illius esset, sancire non poterat, & similiter dictum fuerat á Deo Quod superest date pauperibus: non licebat autem Apostolo contra ea quæ Dominus expressè constituerat, leges & præcepta ferre. at cætera mandare potuit, & mandauit quę nõ errãt expresè definita: exẽpli gratia: vt dies sanctificationis Domini esset dies solis, qui nunc dicitur Dominica dies, quando Dominus à mortuis resurrexit: cuius fit men-

tio

tio Apoc. 1. *Fui in Spiritu in dominicā die*. & cętera huiuſmodi, quæ manifeſta ſunt.

Grotius. Regimen ergo quod Paſtoribus tribuitur, eſt merè ſuaſorium; aut ad declaratiuū genus referri debet. etſi Apoſtoli aliquando imperaſſe leguntur, vt Heb. 13. 1. Thes. 5. Ioan. 21. Act. 20. 1. Petri. 3. illud per figuram intelligi debet: quia, exempli gratia, remittere & retinere peccata, ſignificatur remiſſā aut retenta declarare. Sicut Hieremias à Deo conſtitutus dicitur ad Regnā excidenda: ideſt ad pronunciandа Regnorum excidia. Sic etiam epiſtola Apoſtolorum Act. 15. intelligenda eſt: non enim nouum onus imponitur Chriſtianis, alioquin ante illud decretum licuiſſet ſcortari.

Reſpondeo, reggere, & ſuādere ac declarare eſſe terminos in hoc genere contradicentes. Qui enim verè regit, poteſtatem habet dirigēdi, & cūm opus eſt coercendi: qui autem ſuadet tantùm & declarat, reggere non poteſt. Præterea *poteſtas, et virga* qua Apoſtolus 1. Cor. 4 vtebatur, pugnat cum ſolo iure ſuadendi. illud *Quodcunque ligaueris etc.* Matth. 16. tradere homines Satanæ 1. Cor. 5. *Doce, et argue cū ōni imperio* Tit. 2. *Diuitibus huius ſæculi præcipe etc.* Tim. 6: *Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt*

quare non potius nos? sed non vsi sumus hac potestate, ne offendiculum demus euangelio Christi 1. Cor. 9: scindere homines ab Ecclesia Anathemate, Gal, 1. & cætera similia, summam potestatem, & non tantúm ius suadendi, & declarandi infert, vt sanis patet. miror cur Grotium oppositum machinari, & Apostolos Pedagogis similes constituere non pudeat.

Cùm inquit. Imperium Apostolorum intelligi debere per figuram, qua remittere, & retinere peccata, significatur remissa aut retenta declarare. Hoc inquam est scripturis sanctis ludere, imò illudere, & ineptias ac scurrilia pronunciare. exempli gratia. Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis. Quodcunque in terris declaraueris ligatum fuisse à Deo ligabitur à Deo. Doce & argue cum omni imperio.. Docta & arguta declara. Diuitib⁹ huius sæculi præcipe. Diuitib⁹ huius sęculi præcepta suade. Anathema sit, Anathema fuisse declaro. Hic autē modus nō est intelligēdi, sed corrumpendi, & illudendi scripturas.

Præterea, habere ius declarandi vel non declarandi h ac forma qua Ecclesia controuersias dirimit, potestas est, & Potestatis exercitium: nam si Ecclesię Minister declarare renuit, res de

clarata

clarata non est. Addo, Idem de ciuili potestate enunciare licebit. Cùm enim iudicant: quę á Deo lege, & lumine naturæ recta humanæ menti ostensa sunt, denunciare per sententiam teneantur: sententia enim Iudicis, si iniqua fueri, nulla est. Si enim executionem obtinet, a violenta tyrannide procedit. Nunc autem sensum iustæ sententiæ, iuxta Glossam Grotianã pronunciemus: exempli gratia. Cæsar inquit, subditi soluant tributum: subditos soluere tributum aperio. Sortes pœnam capitis soluere precipio. sortes pœnam capitis soluere debuisse declaro. hic ergo modus ad eludendam, & vilipendendam Ecclesiasticam Potestatem excogitatus, & Regum seu summarum Potestatum ciuilium auctoritatem eludit, & deprimit: nam Deus qui legem Euangelicam sanciuit; legem naturę hominum menti vt legislator inseruit. De ac enim naturali lege mẽtib⁹ nostris á Deo legislatore inserta disserit Apost. ad Ro. cap. 1. & 2. dicens. *Cum enim Gentes, quæ legem non habent; naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Si ergo Potestas Ecclesiastica, vera Pote-

ſtas non eſt, ſed tantùm ius declarandi habet, quia ſecundùm Diuinas ſanctiones iudicare debet: neque Regum Poteſtas, vera poteſtas erit; quia iuxta legem naturæ menti hominum à Deo vt legislatore deſcripta; ſententiam enũciare debent. hinc ſuas Grotius poterit diſcernere ineptias.

Ad illud: Sic etiam Apoſtolorum epiſtola intelligenda eſt &c. Dicimus Apoſtolos in illo Concilio quod habuerunt, veriſſima præcepta dediſſe. Duo pręcipuè imperarunt, vt Gẽtes & á fornicatione, & ab immolatis ſimulacrorũ, ſanguine ac ſuffocato abſtinerent. Fornicatio autem apud Gentes, quibus epiſtola illa directa fuit, nullis legibus puniebatur: idcirco illo præcepto Gentes docuerunt Diuinam legem, pręcipiendo. Secundò ex proprio iudicio abſtinentiam ab immolatis ſimulacrorum, ſãguine & ſuffocato, non vt veteris legis obſeruantiam, ſed vt propria mandata imperauerũt: vt facilius Eccleſia ex Gentibus & Iudæis coaleſceret. nam Iudæi ab initio cum Gentibus nõ conueniſſent, ſi eos comedere vidiſſent immolatas carnes, ſanguinem, & ſuffocatum, á quibus valde abhorrebant. Poſtquam autem Eccleſia ampliata fuit, & Ieruſalem deſtructa, &

finis

finis ille cessauit; lex etiam illa terminum accepit. De hac re loquitur August. lib. 32. contra Faustum cap. 13. *Si hoc tunc Apostoli praeceperunt, vt ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne praefocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur rem facilem, & nequaquam obseruantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem, aliquid communiter obseruarent*. & infra. ☞ *Transacto* verò illo tempore, quo illi duo parietes, vnus ex Circumcisione, alter ex praeputio venientes, quamuis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: & vbi Ecclesia Gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis iam hoc Christianus obseruat, vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est: aut leporem non edat si manu à ceruice percussus; nullo cruento vulnere occisus est: & qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant, á caeteris *irridentur*. ☜ Haec tamen ab Apostolis sancita, vt firma praecepta Paulus custodiri á fidelibus cum imperio mandabat Act. 15.

Grotius. Ecclesiae nullum imperium à Deo con-

concessum est: nam imperii istrumentum gladius. Ecclesiæ autem arma carnalia non sunt: neque alium gladium á Deo accepit quam spiritualem, verbum nempe Dei. Agit ergo in Terris Ecclesia non vt Municeps; sed Inquilina: inquilinis verà Imperiũ nõ habetur: Quia tamen Ecclesia cętus, & multitudo est; vim habet cõstituẽdi, sed imperãdi: quia nulla ei cõpetit Potestas; nec sũma, nec vt à sũma proueniès

Respondeo summum Imperium Petro circa Ecclesiftica à Deo fuisse exhibitum. Matth. 16. dum Petro dicitur; *Quodcunque ligaueris etc* Perpende Grotie illud *Quodcunque*, Si Saluator Petrum supra *Quodcunque* Præfectum; & Principem constituit: *quis es tu homo qui respondeas Deo?* Cum inquis, imperii instrumentũ gladius, dupliciter respõdeo: Imperij laici seu ciuilis istrumentũ est Gladius, non autem Imperij Ecclesiastici. secundò respondeo, Imperiũ Ecclesiasticum suo quoque modo gladium habere. nam Petrus Ananiam & Saphiram in causa Ecclesiastica fraudulẽtos occidit Act. 5. scindit etiam Pastor reos anathemate ab Ecclesia Gal 1. & 1. Cor. 5. & Satanę tradit: & hic quidem horribilis est gladius. ergo imperium habet, quia gladium tenet, prout Grotius Syllogizat,

gizat. Præterea gladium habere, est hominem reum temporali pœna punire. at si Pastori Ecclesiæ reos punire non licet, cur Paulus Thimotheo Pastori mandat 1. Tim. 5. vt aduersus Præsbiterum accusationem non recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus? cur sub testibus, nisi vt iustè iudicet & iustè reum puniat? aliter testibus opus non haberet. & cum Paulus 1. Cor. 4. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Quid est vti virga, nisi reum punire? & omnis realis ac vera punitio ad genus gladij, saltem suo quoque modo reducitur. & hoc ad imperium Ecclesiasticum demonstrandum sufficit.

Ad illud. Agit ergo in Terris Ecclesia non vt Municeps, sed Inquilina: idest habitat in Terra aliena, quia non habet Terrarum dominium, & administrationem: inquilinis autem imperium non debetur. Respondeo Ecclesiam quantum ad fideies qui Corpus Ecclesiæ constituunt: non esse inquilinam: habent enim ipsi sua iura, & dominia: quantum ad Pastores vt tales sunt, habent omnes Christi oues subiectas: quia illas pascunt doctrina, directione, iudicijs, pœnis, prout opus est & in causis Religionis omnes fideles sunt Pastoribus subiecti:

non

non est Grotie huius generis Pastorum pōssessio excelsa & illustris : etiam Reges laici Domini Terrarum dicuntur, quia hominibus qui Terras possident dominantur: sic Ecclesiastici Pastores, quia fideles Pascunt, etiam super Terras quam fideles tenent ius sibi conueniens habent. Apostolus enim docet. 1. Cor. 9. se potestatem habere fidelium bona taxandi, vt quæ sunt necessaria Ecclesiæ Ministris soluantur: ergo Ecclesia non est hoc sensu inquilina, vt in terris ius nullum habeat, ita vt esse debeat vt vulgo dicitur in concauo Lunæ. Dicitur autem Ecclesia militans inquilina, quia ad Terram viuentium, & felicitatem æternaliter possidendam dirigit gressus suos, & á Christo Domino extra huius vitæ statum illustriori coronabitur laurea,

Cúm tandem inquit · Quia Ecclesia cætus est & multitudo, vim habet constituendi, sed non imperandi. Dico huic instantię satis in superioribus responsionibus dictum fuisse. Præterea constituere & sancire, & huiusmodi Cōstitutionibus non obligare, ad Pastores in tragedijs confictos pertinet: Ecclesię autem Christi Pastoribus quibus dicicut Matth. 17. *Quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata et*

in

in Cælo. poteſtas cum iure obligandi conceſſa eſt. quę enim ſunt ligata in Cælo, homo ſine temeritatis, & arrogantiæ nota reſpuere nequit, quia vim habent maximé obligandi.

Grotius. Vetus Eccleſia miniſtros ſuos omni carere Poteſtate non officit, quin Eccleſiæ miniſtri Poteſtati Regiæ non ſubſint. & quod Rex circa ſacra poteſtatem non habeat: quia illud ſuit directiuũ Regimen quod in conſulendis rebus. & mandatis diuinis declarandis conſtitit. Poteſt autem idem declarare & conſulere, & Regi ſubijci; vt de Conſiliario & Medico Regis conſtat.

Reſpondeo Grotium & Grotianiſtas inani innixos eſſe fundamento, Poteſtatem nempe Eccleſiaſticam in iure cõſulendi & declarandi tãtũ cõſiſtere, ſed ſortiorẽ ac ſolidiorẽ eſſe poteſtatẽ eccleſiaſticã Regia poteſtate ſatis hucuſq; demõſtrauimus: nec in re huiuſcemodi ſententiarum iteratione opus eſt. Miniſtri enim Eccleſiæ habent iudicem Paſtorem ſummum Petri ſucceſſorem, ad illum Cleri cauſę deferri debent: Apoſtolus 1. Tim. 5 tribunal Preſbiterorum apud Epiſcopum eſſe monet: & conſequenter Epiſcoporum apud Primum Epiſco-

pum vniuersalis Ecclesię, qui super Catedram Petri sedet.

CAPVT QVINTVM
De Iudicio circa Sacra.

GRotius. Imperium circa sacra summis Potestatibus inesse ostendimus: nunc de huiusmodi iuris exercitio differendum superest. Iudiciũ, aut est directiuum ad declarandum vel persuadendum, aut imperatiuum. Imperatiuum duplex, summè summum, seu absolutum, & est Dei: restrictè & est Regum seu sũmarum Potestatum. quamobrem Romanus Pontifex iudicium de Religione sibi arrogat: quod ortum est, quia non nulli Reges & Imperatores quia se cognouerunt ineptos, illud à se reiecerunt, illique dederunt.

Respondeo, Imperium circa sacra, Romanam Petri Cathedram á Domino obtinuisse, conspicué fuisse demostratum, & Principes laicos oues esse sub Petri regimine circa sacra prę cipuè constitutos ex Euangelij doctrina manifestum esse. & similiter iudicium imperatiuum circa Religionẽ sic Petro & successori suo creditum esse, vt non tantúm Principibus laicis,

sed

ſed nec Angelis cæleſtibus contingat. qui plura diuina myſteria ab Eccleſia diſcere debuerũt vt Apoſt. ad Ephes. 3. monet. *Vt innoteſcat Principatibus, & Poſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* nec hoc iudicium ſibi arrogat Romanus Pontifex, ſed ille qui quis eſt, & munus Paſtoris aripit. Sic Grotie malitia & hæretica prauitas excęcauit cor tuum, vt diſcernere nequeas ad illum imperium circa Religionem ſpectare, cui dictum eſt *Tu es Petra. Quodcunque ligaueris &c. Paſce agnos & oues meas.* cui ſcilicet totius Chriſtiani gregis cura commiſſa eſt, non autem ad Cæſarem & cęteros laicos Principes: pro quibus in rebus huiuſmodi nec verbum quidem factum eſt? Reges autem & Imperatores qui iudicium circa ſacra exhibere renuerunt, Viri eruditi, pij, optimique fuerũt: qui autem hoc ius vſurparunt, alienæ poteſtatis inuaſores extiterunt. Norunt Catholici ſententiã Domini dicentis· *Reddite quæ ſunt Cæſaris Ceſari, & quę ſunt Dei Deo·* & temporũ Ratio Romanũ Pontificem vniuerſalis Eccleſię Paſtorem cohibuit, vt aliquando huiuſmodi alienorum Iurium aggreſſores virga non corriperet qua deinceps cum opus fuit etiam vſus eſt.

Grotius. Constantinus Imp. anno D. 451. causa Episcopi Tyri an rectè se haberet, iudicare voluit. Martianus Imp. suum esse iudicium fidem dijudicare testatus est. Carolus Magnus anno D. 794. controuersię Felicianę arbiter fuit. hi autem optimi fuerunt Principes, qui tamen imperium circa sacra tenuerunt.

Respondeo hanc Grotij obiectionem & cęteras hęreticorum assertiones, mēdacijs & imposturis semper fuisse innixas, Nam Constantinus Imperator à iudicio circa sacra sic abstinuit, vt aliquando coactus ab importunis Donatistarum hæreticorum clamoribus, qui Romanum Pontificem non venerabantur, illorum causam iudicare voluerit, cum tale iudicium primó repulerit, sed veniam ab Episcopis petiturus, vt Augustinus ait. cuius verba sunt ista. *Neque ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum qui Romæ sederant, ipse iudicaret*, propter improbitatem tandem illorum appellationem cognouit: *ab Episcopis tamen qui iudicauerunt veniā petiturus*. Athanasius occasionem sumpsit Cōcilium Tyriū insectandi ex hoc capite ōni Ecclesiæ notissimo, quod iudicia Ecclesiastica nihil

hil licebat Imperatori. illi autem Concilio adfuerat Dionysius Comes satellitio militum cinctus, vt esset animaduersor, & custos obseruãdæ æquabilitatis, & ordinis. quamobrẽ Athanasius Romanum Pontificem appellauit: à quo, & sententiam, & Ecclesiam recepit.

Martianus Imp. in Conc. Chalced Act. 6. cùm Synodo, se præsentem dedit, sic dixit. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religiosi Principis Constãtini, Synodo interesse voluimus: ne vel vlterius populi prauis suasionibus separẽtur*. Tranquillitatem populorum, & pacem, non autem sacra iudicare finem esse Principis Martianus testatur. Vnde Grotius oppositum venatus fuerit, non apparet. Hac simili forma Theodosius, & Valentin. Imperatores legasse testantur ad Ephes. Synodum Comitem Candidianum, ea lege, & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersijs, quę circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat, quia, inquiunt, *nefas est, vt qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo ascriptus non est Ecclesiasticis negotijs, & Consultationibus sese immisceat:* Sed vt ea tantùm auferre satagat, quę turbationem inferre possunt. hæc epist. habe-

tur,

tur ante Acta Concil. Ephes. Anno D. 800. Leo tertius, accusatus in Cōcilio Romano, præsente Carolo Magno Francorum Rege, vt refert Anastasius in vita Leonis tertij anno 800. Episcopi, & Proceres Francorum sic omnes dixerunt. *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum iudicare non audemus: nam, & ab ipsa nos omnes, & ab eius Vicario iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, sicut antiquitus mos fuit, sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus* non potuit ergo Carolus Magnus opposita docere, & exequi: qui in actione solemni, cathedræ Petri potestatem nouit, & veneratus est.

Ad euidentius tamen demonstrandum, Imperium circa sacra apud Romanum Pontificē olim fuisse, commemorandum dicimus, quod de Anatolio Constantinop. Episcopo legitur in Actis Conc. Chalced. damnato enim per vim & tumultum in Ephesina Synodo, Flauiano Episcopo Constant. Anatolius qui Constantinopoli pro Dioscoro aderat, Regiæ Vrbis fuit ordinatus episcopus. quæ ordinatio cum in illo Ephesino latrocinio habita fuisset, cuius Acta erant irrita, subsistere non poterat. qua-

mobrem

mobrem Leo Papa Anatolio non legitimé ordinato non communicabat. at intercedente pro eo Marciano Imperatore apud Leonem Pontificem: ipse habita Canonum dispensatione, annuit. Quamobrem in epist. ad Marcianum sic Leo scripsit. *Nos enim vestræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cum secundũ suæ consecrationis Auctores eius initia titubarẽt benigniores circa ipsum quàm iustiores esse voluimus &c. Satis sit prædicto quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatũ tantæ Vrbis obtinuit etc.* Alioquin secundùm sacras Ecclesiæ leges expellendus erat. Et quia idem Anatolius Antiochenum episcopum cõtra Nicænos, & Constantinopolitanos canones Maximum instituerat in locum Domni qui ab iniqua Synodo Ephesina fuerat damnatus: Leo Papa Apostolica auctoritate ob pacis studium voluit conniuere. ideoque in eadem epistola ad Imperatorem subdit. N*eque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sinè vllo exemplo contra statuta canonũ, Episcopũ ordinare præsumpsit. quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio, retractare cessauimus etc.* Cum autem hæc Leonis Papæ primi epistola anno

D. 451

D. 451: ad Romanum, & vniuersalem Imperatorem directa fuerit: in qua summum imperium Papæ circa sacra manifestissimè cernitur: ius Romanæ Cathedræ super sacras Ecclesiæ leges, indubitatum eo tempore fuisse, necessariò affirmãdũ erit. at leges soluere, & cõstituere & cõstituere & soluere ab eodẽ iure procedũt. ergo Papa ab initio dum vniuersalis Ecclesiæ leges soluebat, leges eidem similiter dabat.

Affert iterum in hoc Capite Grotius plurium Imperatorum, & cæterorum Virorum testimonium, vt ostendat Principes laicos Religionis curam suscepisse. sed quia eorundem sensum supra aperuimus: cum Præsidium, tutelam, & obsequium tantùm exhibuisse ostenderim: illud idem repetere superfluum existimaui. Hoc tamen adijcio: Formulam literarũ qua magni Principes vsi sunt, & vtuntur, ius aliquod illos habuisse circa sacra quodammodo aperire: at Vir prudens non Regium ius circa sacra, sed Regiam maiestatem inde in suis legibus ferendis colliget.

Grotius. Etsi Theologiæ facultas ardua sit, & summæ Potestates illi non vacent: satis illi erit fidei præcipua dogmata nouisse: quæstiones enim circa credibilia sunt euitandæ, vt mo

net

net Apost. 1. Tim. 1. ideoque nudam ac simplicem veritatem illos scire sufficit.

Respondeo Grotium huiusmodi verbis potius delirare, quám disputare: quomodo fieri potest vt indoctus mysteria fidei iudicare, aperire, discernere & percipere valeat? & illud Hieronymi ad Paulinum ad rem venit. *Puerilia sunt hæc, & circumlatorum ludo similia, docere quod ignores: imò vt cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias.* & Saluator noster inquit: si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Apostolus á Grotio citatus 1. Tim. 1. sic ait. *Vt denunciares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem.* ergo non studium pro diuinis percipiendis mysterijs prohibet, sed superfluas quæstiones circa fabulas, & genealogias damnat.

Grotius. Deus Potestatibus sapientiam quæ necessaria est præbet: ipse enim & natura non desunt in necessarijs, ideoque Ecclesia pro illis orat, dicens. Deus iudicium tuum Regi da & iustitiam tuam filio Regis. Iosue filius Nun Deut. 34. repletus est scientia á Deo. Saul mutatur in virum alterum. Præterea Dominus

nouissimé loquutus est nobis in filio Heb. 1. sic aperté vt Magistris opus non sit. Matth. 23. quia Magister Christus satis est: non requiritur noua patefactio, sed manifestationis factæ cõtinua promulgatió.

Respondeo, Grotium in suis huiuscemodi ineptis assertionibus inconstantem esse: nam primò inquit sapientiam & scientiam ad imperium exercendum circa sacra non requiri: nunc autem inẽsse debere: & á Deo Principibus infundi: nec tamen sibi constat, quia prius cap. 5. dixerat, plures Principes, quia inepti fuerunt, imperium circa sacra dimisisse: nescit ergo Grotius de quibus affirmat, & huiusmodi inconstantia ex mendacibus & impijs opinationibus ortum ducit; si Deus Principibus laicis hanc infundit scientiam, quomodo illorũ plures inepti fuerunt? si scientia non est necessaria, cur Deus illam infundere tenetur? Orat Ecclesia pro Principibus laicis, vt rectè iustè, & piè Populos illis subditos gubernent & dirigant. Si quia Iosue, Salomon, & Saul á Deo sapientiam & intelligentiam obtinuerunt, omnes pariter Principes illam à Deo accipere, affirmare cogimur; etiam propter Asinam Balaam, quæ aliquando sapienter loquuta est, mo

nendi

nendi sunt homines in deliberationibus suis Asinæ expectare consilia. Ad illud, quod nouissimè Deus loquutus est nobis in filio, claré & aperté, ita vt Magistris opus non sit. Si ita res est, vt omnia fidei mysteria sint aperta: cur tot sectæ inter vos? cur tot variæ scripturarum intelligentiæ? vel res sic aperta non est, vt Iudice controuersiarum indigeamus, vel si aperta est, inter tot lites & dissidia & varias opinatio des, deliratis: vnum e duobus eligite. Non requiritur autem noua patefactio mysteriorum fidei, vt Grotius ait. Sed requiritur nouum iudicium circa controuersias, quæ in rebus fidei aperiendis indies oriuntur, vel á prauis hominibus excitantur. quamobrem scientia & doctrina est summè necessaria. Hinc Dominus Oseæ 4. ait. *Quia scientiam repulisti, repellamte ne sacerdotio fungaris mihi.*

Grotius. Summarum Potestatum decreta etsi non recta sint, rata & firma sunt circa Dei cultum, dummodo contra Dei legem non pugnent. vt patet de Pharaone, Hebræorum erga Palestinam discessum impediente, nam Deus vt abirent mandabat: illi tamen non consentiente Rege, egredi ausi non sunt: igitur rata sunt imperia summarum Potestatum circa sa-

cra, etiam si non rectè de illis sentiant. Addit Grotius exẽplum de Nabuc. qui primúm pro Idolo colendo mandatum dedit: deinde pro Iudęorum vero Deo venerando legem tulit. similiter de Cyro Parsarum Rege &c. Impium, inquit, fuit Concilium sinedrij, Petrus tamen illius non respuit iudicium: idcirco Act. 4. ait. iudicamur de benefacto in hominem infirmum. Controuersia aderat an nomen Iesu diuulgandum: & Petrus inquit coram Concilio, iudicate an Deo magis quám hominibus parẽdum sit. Act. 24. Paulus apud Felicem Presidẽ ait. De resurrectione mortuorum ego iudicor, & postea, Ad tribunal Cæsaris sto, ibi oportet me iudicari. Paulus Samosatenus ab Episcopatu Antiocheno, re in iudicio posita, ab Aureliano Imperatore remouetur. Eusebius lib. 17. cap 30. Archelaus Episcopus Anno 275. contra Manetem hereticum, (unde Manichei nomẽ) disceptationem habuit coram Marcello viro illustri Iudice, qui assessores vocauit Philosophũ, Medicum, Grammaticum, & Rethorem, omnes paganos: igitur etiam Pagani Principes circa sacra imperium & iudicium habẽt. Quod confirmatur Act. 13. nam Sergius Paulus propraetor iudex fuit, Apostolo cum Elyma Mago dispu-

diſputante. iudex enim ſi paganus ſuerit, á Deō illuminatur, vt rectam ferat ſententiam. Quamobrem ſi quid de ſacris imperant Reges Chriſtiani, ius imperandi habent vt Reges, peritiam vt Chriſtiani: &c.

Reſpondeo hucuſque Grotium ſuas hæreſes aliquo ſtibio circumliniſſe: nunc autem in tales prorumpit ineptias, vt eſſe videatur alter à Grotio: Principum decreta firma manere dicit, ſi Diuinis mandatis non opponantur: attamen exemplum Pharaonis affert, qui expreſsè diuino præcepto repugnabat. hęc enim ſunt contradicentia. Iudæi autem ab Agipto non exibant, non vt Pharaoni obtemperarent: ſed quia illius arma formidabant: eos enim Rex militibus ſuis trucidaſſet: quod tandem poſt eorum diſceſſum operari voluit: ſed iuſtus Dominus, vt populum ſuum ſaluaret & Regis contumaciam puniret, Regem & exercitum eius ſubmerſit in mari rubro. Quamobrem ſtultè infert Grotius, Principum imperiū circa ſacra, etiā ſi nō rectū fuerit, ratū eſſe. exēplū de Nabucd. & Cyro ad rē nō venit nā aliud eſt pręceptum Regis ſemper exequi, & aliud eſt præceptum Regis eſſe rectum & iuſtum, & propter conſcientiam exequendum. Prius ſit

formi-

formidine pœnæ, non executionis debito: posterius autem debito obedientię iure. Viri cordati & constantes quæ impiè, vel contra diuina mandata præcipiuntur, exequi renuunt, & à Deo propterea coronãtur. Nec Petrus iudicio Cõcilij sinedrij nec Paulus Felici Pręsidi in religionis causa se subiecerũt: hoc enim insulsũ est affirmare. est autem consueta dicendi forma, (illud iudicate) qua quisque quæ manifesta sunt oppugnantibus similibus verbis obijcit. Paulus autem *coactè* appellauit Cæsarem, non tanquam iudicem in Religionis causa, sed ad euitãdum vitæ discrimen: & quia Iudæi alium iudicem non suscepissent, sed nec obtinere potuissent, at quod fit *coactè*, nullum gignit ius.

Præterea, Apostoli & Ecclesiæ ministri si cum Paganis & hæreticis altercationẽ habeant tribunal Principum laicorum vel infidelium respuere nequeunt: quia Petri successorem iudicem competentem circa sacra non suscipiunt: vt ergo litem dirimant, eorum tribunal appellare coguntur: sed coactio, vt diximus, proprium ius non aperit: quamobrem inepta sunt quæcunque Grotius affert.

Caput

CAPVT SEXTVM
De modo Imperij circa Sacra exercendi.

GRrotius in hoc ſexto capite, plura veteris teſtamenti affert loca ad ſuam comprobandam opinationem: ſed quia cap. 1 docuimus, duplici iure acta circa ſacerdotes Leuiticos nullius valoris eſſe pro comparatione & æqualitate conſtruenda cum Petri cathedra & Eccleſiæ Paſtoribus: quia ſcilicet Sacerdotes leuitici, Petri & cæterorum Apoſtolorum poteſtate caruerunt: & quia lex Moyſis abrogata eſt, idcirco ea omittimus.

Grotius. Cauſa diſſidij quod inter Chriſtianos circa ſacra nunc temporis viget, non ſummæ Poteſtates, ſed Eccleſiæ Paſtores cauſa extiterunt.

Reſpondeo, verum eſſe authores hæreſum vt plurimũ fuiſſe ſacerdotes catholicæ Eccleſię deſertores ſeu apoſtatas, exẽpli gratia Lutherũ, & Caluinum: ſed Principes non tantùm eorũ peruicaciam refellere, ſed gladio eos punire, ſic ſuadente Petri ſucceſſore, tenebantur. at hoc operari renuerunt; ſciant quia *Agentes et conſentientes pari pœna puniuntur.* Hoc in ſuper adjci-

adijciam, vt quæ operàri Principes in prę-fatorum apoſtatarum cauſa debuiſſent, commemorem, Cyprianus epiſt. 3. libr. primo *Nulla cum talibus commmercia copulentur: nulla conuiuia vel colloquia miſceantur: ſimuſque ab iis tam ſeparati, quàm ſunt illi de Eccleſia profugi.* Sanctus Leo.ſerm. de paſſione Domini 18. inquit. *Viperea hæreticorum vitate colloquia, nihil nobis commune ſit cum eis, qui Catholicæ aduerſantes fidei ſolo ſunt nomine Chriſtiani.* & Paulus Apoſtolus tam ſeriò de hæreticis loquens, illud in culcat *& hos deuita.* S. Ioannes Apoſtolus & Euãgeliſta, vt Irenæus monet lib. 3. cap. 3. contra Valentinum, cum balneum aliquando eſſet ingreſſus, mox vt Cherintum hęreticum intus eſſe cognouit, de balneo exiliuit, non lotus, vt poſteros fideles ſuo moneret exemplo, hæreticos omnino, vt peſtis morbum contagioſum eſſe vitandos. Et hęreſi Arriana graſſante, Eccleſia Samoſatenſis, vt Theodoretus lib. 4. hiſt. cap. 14. enarrat, ſentiens Paſtorem ſuum hæreticum eſſe, ſic illum fugiebat, vt ſolus remaneret in Eccleſia, cunctis abeuntibus, Hoc Apoſtolorum & Catholicæ Eccleſiæ inſtitutum, ſi Principes cum po-

pulis

pulis tenuissent, hæresum auctores suis dissidijs non profecissent.

CAPVT SEPTIMVM
De Synodis

GRotius. Senatus est virorum adunatio in eadem ciuitate manentium: Synodus verò eorum qui ex diuersis locis colliguntur. Sūmæ Potestates Synodum indicunt, & quæ in Synodis definiuntur, imperant. patet, quia ieiunium Niniuitarum Ionæ 3. á Rege & Proceribus indicitur. Synodorum euidens est vtilitas: nihilominus in diuina lege de Synodis celebrandis præceptum non datur: exemplum apparet: at non omnia quæ facta sunt, præcipiuntur. Nec in veteri Testamento Concilia celebrata fuerunt.

Respondeo, Synodi definitionem à Grotio allatam insufficientem esse: numquid si ex diuersis locis Ecclesiæ Pastores colligerētur, pro ciuilibus negotijs peragendis, Synodum, eo sensu, quo illam Ecclesia celebrat, & enunciat, tunc celebrarent? minimè: ergo Pastorum collectio ex diuersis locis, vt sic, Synodi quidditatem non exprimit. Synodus autem sic re-

ctè a Catholicis Viris definitur, vt diximus tomo 1. lib. 3. disp 1. Est congregatio maiorum Prælatorum Ecclesiæ, auctoritate Romani Pontificis specialiter conuocata, ad aliquid cõmuni intentione solemniter tractandum in Religione Christiana, Papa in ipso Concilio Præsidente, vel alio in loco eius. Principes autem laici Conciliorum patrocinium exhibent: omni alio iure circa illa penitus carent: Ad illum enim spectat congregare Concilium, eique præsidere, quod non nisi pro salute gregis Christi celebratur, cui totius Christiani gregis commissa est cura; sed talis est Petrus cum suo successore Romano Pontifice, non autem Imperator, vel quilibet Princeps laicus, vt patet Matth. 18 & Ioan. cap. vlt. ergo &c. Finis enim Potestatum sæcularium est pax ciuilis, & temporalis tranquillitas: at Ecclesiasticæ Potestatis est salus æterna, & omne quod ad eã ordinem dicit. in Synodis autem non ciuilia, sed spiritualia excutiuntur negotia: idcirco præter presidium, temporalis Potestas, quæ ouis re & nomine gaudet, nullum circa Synodum munus exequi potest. Exemplum de Niniuitarum ieiunio à Rege sancito ac promulgato, ad rem non venit: nam illi Ethnici erant, & Sacerdo-

tio

tio á Diuina lege constituto, carebant: quamobrem Rex qui in eo Regno primatum in ciuilibus obtinebat: eundem circa ieiunij præceptum exequi potuit. Populus autem Christianus summũ habet sacerdotem, Vnigeniti Dei Vicarium: cui in rebus huiuscemodi omnes tanquam oues sub illius regimine positæ parere tenentur. An autem à Sacerdotibus Leuiticis huiusmodi Concilia celebrata fuerint, aduersus Grotium disceptare renuo: quia inde in causa hac nihil infertur ad rem, cum iura Sacerdotij Leuitici, potestate Petri Cathedræ exhibita, valde inferiora fuerint, vt supra enarrauimus

Grotius. Virorum collectio, quæ Act. 15. habetur, Concilium dici non debet; quia ex diuersarum nationum hominibus non constabat: cum ibi Apostoli, & Præsbiteri Ierosolimitani tantúm adessent: igitur Collegium fuit, non Synodus: origo ergo Cõciliorum nullibi in Scripturis habetur: ergo à iure naturali descendere, congruit asserere: quia cum homo animal sit sociabile, in his quæ communem inferunt vtilitatem, conuenire potest: at hoc ius á Summis Potestatibus interdici potest: ideoque pro Synodis adunandis, Regia potestas fuit necessaria.

Respondeo, Collectionem Virorum quæ Act. 15. legitur, verissimum fuisse Ecclesiasticum Concilium: quod sic primó ad hominem cõtra Grotium ostendo. synodus seu Concilium vt ipse affirmat, est virorum ex diuersis locis, & Nationibus collectio, nempe pro causis circa Sacra resoluendis: at illa quæ legitur Act. 15. est huiusmodi: ergo fuit verissima Synodus Ecclesiastica. Minorem propositionem sic probo: Causa quæ ibi discutiebatur sacra erat; nempe, an lex Moysis simul cum Euangelica seruanda esset: Pastores qui adfuerunt ex variis Nationibus extiterunt: nam Paulus Apostolus ex Tarso Ciliciȩ erat oriundus: Barnabas erat Cyprius: cæteri Apostoli Palestini: & plurimi aderant Antiochenses Orientales, qui cum Paulo, & Barnaba ad hunc eundem finem descenderunt in Ierusalem, vt scriptura Actorum enarrat. *Statuerunt, vt ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos, & Præsbiteros in Ierusalem super hac quæstione*. ergo fuit verissima Synodus.

Præterea, adhoc ut fiat vera Synodus, falsissimum est Pastores requiri, qui ex variis Nationibus collecti fuerint: nam si Ecclesia Catholica

tholica apud vnam Nationem aliquando reperiretur, & cæteræ Nationes hæretica prauitate fœdatæ essent: vt de facto plures Nationes impia Lutheri, & Caluini doctrina ab Ecclesia Catholica abierunt: insulsum est affirmare, illius Nationis Pastores pro quæstione aliqua circa Religionem dirimenda, si simul legitimè congregentur, Synodum eo tẽpore non cælebrare, Prudens Lectore dicat. Origo itaque, & institutio Synodorum ab Apostolis descendit: ineptè igitur ad ius naturę Conciliorum congregatio reuocatur. an autem summæ Potestates seu Reges ius obtineant super Synodos, satis dictum est: ostendimus enim præter præsidium, & obsequium, nihil pęnitus auctoritatis illis iure contingere. Quæ autem aduersus hanc veritatem Grotius obijcit, supra retulimus, & reiecimus.

Grotius. non est necesse cogere Synodum pro his definiendis, quæ liquidò constant. nã Arist. 3. Ptic. 5. rectè inquit. Consiliarios adhibemus pro magnis rebus, quoties nobis ipsi diffidimus: idest si nos ad discernendum non sufficiamus. hoc etiam docet August. aduersus 2. epist: Pelagianorum cap. 12. *quasi nulla hæresis sinè Synodo damnata sit?* sic Leo ad

Theo.

dosium Imp. epist. 24 ait. Cum euidens esset fidei causa, rationabiliter ab indicenda Synodo abstinendum erat.

Respondeo hęc verba præmissa nullam secum habere falsitatem.

Grotius. Leo ad Theodosium epist. 24 scribebat. *Omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lachrimis supplicant, vt Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* Frustra peteretur ab Imp. Synodi adunatio, nisi ius illud conuocãdi habuisset. nec tamen Leo quod postulabat obtinuit.

Respondeo, Leonem Pontificem in præfatæ epistolæ exordio, generale ius circa sacra sibi diuinitus contingere, conspicuè docuisse: ait enim. *Olim & ab initio in Concilijs celebratis tantam nos percepimus à Beatissimo Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt auctoritatem habeamus ad veritatem pro nostra pace defendendam &c.* temporum tamen ratio expostulabat: vt Leo ab Imperat. Concilij adunationem peteret: nam in latrocinali Ephesina Synodo, cum Dioscorus ab Episcopis, Euthichetis hæreseos confirmationem, multis armatus militibus violenter obtinuisset: quia vt albam chartam Episcopi subscriberent manda-

da-

dauerat, & adhuc plura commisisset crimina: Leo, vt audiuit Flauiani episcopi Constantinop. necem, episcoporum terrorem, & fugam, diuulsas Ecclesias, prostratam fidem, exultantem hæresim; coacta Synodo Romæ, quicquid Ephesi factum fuerat, damnauit ac rescidit: scripsitque Theodosio, vt aliam Synodum generalem adunari curaret: & vt in Italia fieret, enixè postulabat. tanta erat tunc temporis Romanorum Imperatorum potestas, cum pené toti dominarentur Orbi, vt Romani Pontifices pro Concilijs cogendis, illorum auctoritate maximè indigerent: & tanta catholicæ fidei tunc, Imperatoris causa, aderat iactura, vt humilibus verbis citatis á Grotio, Leo, vt Concilium in Italia fieret, petere coactus fuerit: vt facilius latrocinalis illa Ephesina synodus irritari potuisset. igitur si de iure synodos cogendi agamus: illud Leonem inuito Imperatore habuisse, re, & opere ostendit: quia synodum in Italia illico celebrauit, quo Acta Ephesi damnauit: si de facto inquiramus: Leo, episcopos Orientis, apud quos Imperator degebat, pacifice cogere nequibat, nisi consentiente Imperatore. at hoc quod ratio temporum causauit, iuri Pontificio apud sanos ho-

mines

mines, non debet officere. ſed ſciat, vel meminerit Lector, hunc Imperatorem, qui Leoni Pontifici in hac cauſa renuit, nec læues, nec feras tanti facinoris pœnas dediſſe: ſi quidem haud multó poſt, dum equitaret, collapſo equo grauiter eliſus, exanimatus eſt, hærede nullo relicto. ad Romanum autem Pontificem hoc ius, & non ad alium ſpectare, nempe, congregare synodos, conſtat in Chalcedonenſi concilio, quod ad Epheſinum refellendum ab eodem Leone Papa, conſentiente Martiano Imperatore coactum fuit: in qua damnatus eſt Dioſcorus: & Leo Papa huic synodo præſedit per legatos ſuos. & Patres in synodali epiſtola ad Leonem, ipſum Concilium adunaſſe fatentur: & inſuper Act. 1. ſic habetur. *Senatus dixit: Quid obijcitur Dioſcoro? Reſpondit Legatus Quia cum perſonam iudicandi non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere, ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt*. igitur ius adunandi synodos, eaſque regulandi, dirigendi, iudicandi, atque complendi, Romano Pontifici, non autem Imperatoribus, & ſimilibus inſidet.

Grotius. ſummæ Poteſtati synodum ex Paſtoribus à ſe electis conuocare licet: quia Paſto-

res

res tantúm sunt Consiliarij: Princeps autem, quos vult Consiliarios adhibere potest: & quia in Synodis exercetur iurisdictio, igitur tunc Pastores sunt Principis delegati: at hoc naturali iuri consonum est, vt delegans, quos vult deleget.

Respondeo hanc Grotij sermocinationem duplici falsissimo fundamento innixam esse: quorum prius est, Ecclesiæ Pastores Consiliarios tantùm esse: posterius, eosdem Pastores in Ecclesiastica iurisdictione exercenda, laicorum Principum esse delegatos: Prior propositio pugnat cum verbo diuino; nam Apostolis, & Pastoribus, qui in munere episcopatus illis succedunt, potestatem habent à Deo ligandi; & soluendi, Matth. 16. & 18, pascendi, & regendi Act. 20. præcipiendi, Act. 15. iudicandi, & puniendi 1. Cor. 5. 1. Tim. 4. & 5. itaut illis omnes Christi oues obedire tenentur, ad Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* &c. qua fronte Grotie Cōsiliarios tantùm denuncias Pastores, qui à Deo habent immediatè ius, & potestatem ligandi, soluendi, pascendi, regendi, iudicandi, & puniendi? cuiuscunque Principis potestas potest ne efficacioribus verbis circūscribi, & exprimi? Posterior pro-

positio inepta est, & insulsa: quomodo Pastores Ecclesiasticam potestatem à laicis Principibus sumunt, si istis á Domino nullibi tributa fuit? Nemo enim dat, quod non habet. Ecclesia Petro, & Apostolis non Cęsari commissa est. Princeps laicus, & temporalis non nisi laicam, & temporalem potestatem habere potest. Potestas enim Ecclesiastica est reuelata, supernaturalis, & à Deo, vt auctore gratiæ instituta, & cui voluit distributa: á iure naturæ, & ciuili nullatenus descendens: imò hæc Ecclesiastica potestas Principibus laicis, quos summas Potestates Grotius denunciat, omnino repugnat. Nam non solùm viri, & etiam mulieres Reges esse possunt: at fœminis regimen Ecclesiasticum iure diuino contradicit. 1. Cor. 14. & 1. Tim 14. & Pepuzitæ ab Epiphanio hæresi 49. & ab Augustino hær. 27. inter hæreticos numerantur, quia fœminis Sacerdotium attribuerunt, ergo Principes temporales nullam circa sacra habere possunt potestatem,

Grotius. Stephanus Papa ad eximios viros Pipinum, Carolum, & Carolomannum Frãcorum Reges, & Romanos Patricios literas direxit; eos deprecans, vt eruditos episcopos ad Vrbem pro celebrando Concilio dirigerent.

quia

quia ad ſummam Poteſtatem pertinet turbulentos reijcere, tempus, & locum Concilij ſancire: materiam agendorum, & modum agendi conſtituere & translationem, & diſſolutionem Concilij definire: & Epheſina Synodus Imperatorem orat, vt quæ contra Neſtorium Acta eſſent, vim ſuam haberent: ergo de facto omne ius in Synodis à ſumma Poteſtate procedit.

Reſpondeo, Romanum Pontificem pleniſſimam poteſtatem habere conuocandi quoſcunque Eccleſiaſticos miniſtros, cùm opus eſt: nihilominus humanam prudentiam in huiuſmodi rebus agendis non debere abijcere: expedit enim, & maximè decet, in euocandis Eccleſiæ Paſtoribus, qui ſub patrocinio, & ditione aliorum Principum degunt, eorundem conſenſum expoſtulare, & obtinere. hoc enim ſuaui, & tranquillo modo regi debet Eccleſia. At Grotius á congruitate ad neceſsitatem trãſiens, ſophiſma conſtruit, quod nonniſi deceptionem, & falſum iuxta morem concludit. Cùm ſubdit: Quia ad ſummam Poteſtatem pertinet turbulentos reiicere &c. Dico, turbulentos circa ſacra, ab Eccleſiæ Paſtoribus primùm iudicandos eſſe, & reijciendos: poſtmo-

dum Principes laicos gladio, si opus fuerit, iu-dicata ab Ecclesia patrocinari debere: hoc patrocinandi ius in agendis circa Sacra Principes laici obtinent, & præterea nihil. Quod autem asserimus, antiquorum Principum testimonio comprobatur. Valentinianus Imperator, Imperatori patri suo sic scripsit: vt ante acta Conc. Chalced. legitur. *Cum aduenissem in Vrbem Romam ad diuinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam Apostoli Petri processi, & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab aliis cum eo ex diuersis Prouinciis congregatis, rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cum sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris Maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare: quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatē de fide, te Sacerdotibus iudicare, Domine Sāctissime Pater, et venerabilis Ipmerator etc.* Audi Grotie, & attēde primatū Petri principatū Ro-

Romanæ cathedræ, poteſtatem iudicandi circa fidem, & omnes Eccleſiæ Paſtores: cur te non puduit, ex eiſdem locis aliqua carpere, quę apta videntur pro tuis hæreſibus ſtabiliendis, & ea omittere, quæ catholicam oſtendunt veritatem? nimirum quia delectaris hæreſibus. & in Synodo Chalcedone habita non legiſti Theodoretum à Leone Papa ſuæ ſedi reſtitutum, & ſupremam eiuſdem Papę poteſtatem in conuocandis, terminandis, dirigendis, iudicandis, & regulandis Concilijs? Ad Epheſinam Synodum non percepiſti miſſum á Cęſare fuiſſe Comitem Candidianum ea tamen conditione vt nullum circa ſacra exerceret iudicium? Martianum Imperatorem ſacra iudicare in Concil. Chalced. ſibi non contingere confeſſum eſſe. Conſtantinum magnum, vt ſcribit Ruffinus lib. 10. hiſtoriarum cap. 2. epiſcopos iudicare renuiſſe: ſe potius ab epiſcopis iudicari debere aſſerendo? Viros doctos errare maximé dedecet: ſed hæreſes patrocinari, & hæreticum fieri, & perſeuerare, ſumma eſt iniquitas. ergo Epheſina Synodus, & omni tempore Eccleſia Catholica Principes laicos orat, vt quę Religionis ſunt, patrocinentur, vt eorum auctoritate, auxilio, fauore, & legibus executionem

obti-

obtineant: at nunquam illos circa ſacra iudices denunciat.

CAPVT OCTAVVM
De legislatione circa Sacra.

GRotius. cur in Anglia, Maria regnante Religio Romana aderat: Eliſabetta autem Imperante, euangelica vigebat Religio? niſi quia ex arbitrio ſummarum Poteſtatum religio pẽdet. cur alia religio in Hiſpania, apud Danos, & Suedos alia, niſi quia ſic Principibus placet. Si quis obijciat, religionẽ facilè ſic mutari, & perdi poſſe: dico vtique periculum adeſſe illam perdendi, nihilominus ius circa Religionem á Principe auferri nequit, etſi tali iure abuti valeat: alioquin nullum ius cuiquam ſaluum erit. Etſi ad alios homines confugere oporteret, idem tamen occurreret periculum, quia homines falli poſſunt. ad diuinam igitur Prouidentiam redeundum eſt: idcirco Auguſt. epiſt. 166. inquit, *Imperatores cùm in errore ſunt, pro errore ſuo contra veritatem leges dant, per quas iuſti, & probantur, et coronantur, non faciendo quod illi iubent, quia Deus prohibet.* Patet de Nabuc. qui primò legem pro colendo idolo

idolo,ſecundò pro Deo Iudæorum venerando dedit:& Iudęa religionis mutationem pro Regum ingenio experta eſt.

Reſpondeo, non tantùm veterum Patrum doctrinam eſſe,ſed experientia conſtare, omnes qui ab obedienria Romanæ Petri cathedrę abierunt, non ſolùm à Chriſto receſſiſſe, ſed Ethnicos euaſiſſe, imò fieri Atheiſtas. quòd autem à Chriſto huiuſmodi homines penitus recedant, probatur à ſimili. enimuerò ſi Rex extra ſuum Regnum abierit in regionem longinquam, & Vicarium plena cum poteſtate in ditione ſua conſtituerit: ſi quis tunc huiuſmodi Vicarium contemnat, & ab eiusdem obedientia recedat; & á Regis obedientia pariter abire, liquidó conſtat. hæc,& ſimilia operantur Romanæ Petri cathedræ deſertores: nam ipſa Vicariam Chriſti Domini poteſtatem in terris gerit. Eoſdem autem contumaces homines, vt plurimùm fieri Atheiſtas, ex hac Grotij nuper allata ſermocinatione colligo. aſſerit enim audacter Principes laicos Religionis magiſtros, & Rectores eſſe,et ſi affirmare cogatur propter Principes diuerſimodè circa ſacra iudicantes, veram Chriſti religionem facilé foedari, conſpurcari varijs hæreſibus, & tandem

pe-

penitus corrumpi, & destrui. Non animaduertis Grotie vnitatem, & integritatem alicuius rei nec obtineri nec conseruari posse, si à pluribꝰ nõ subordinatis, imò vt plurimũ inimicis Principibus regatur, & iudicetur? experientia est rerum magistra: multi Principes à Catholica Ecclesia abierunt, quam autem vnitatem Religionis habent? quidam Caluinistæ dici volunt: alij Lutherani: Euangelici alij: Potestantes, vel reformati reliqui: ò deplorãdam hominum spiritualem miseriam! tot nũc temporis sunt in præfatis Regnis sectæ, & opinationes sibi contradicentes, vt in eadem etiam domo, & familia, vir circa religionem ab vxore dissentiat, & vterque á filijs. Hęc autem omnia absurda auferuntur cum Petri Romanæ cathedræ magisterium veneratur, cui omnium ouium suarum vnigenitus Dei commisit curam, dicens Ioan. 1. *Tu vocaberis Petra.* Matth. 16. *Tibi dabo claues &c.* & Ioan. vlt. *Pasce agnos, et oues meas.*

Neque hanc firmissimam veritatem destruit Grotius illis verbis in obiectione positis: Etsi ad alios homines confugere oporteret, idem tamen occurreret periculum, quia homines falli possunt. Nam Petro & successoribus spiritus

ritũs Domini adeſt vſque ad conſummationẽ ſæculi, Matth. vlt. eique firmiter pollicitus fuit præſidium aduerſus ſatanæ & hæreticorum inſidias. *Portæ inferi non preualebunt aduerſus eam*. at laicis Principibus neque ius circa ſacra datum eſt à Domino, neque preſidium eis promiſſum fuit, vt rectè ea, quę ſunt religionis iudicent. Quod autem religio ob varios Principes detrimentum olim acceperit, hoc non accidit quia circa ſacra ius habuerũt: ſed ob tyrãnidem & violentiã; vel ob exẽplũ, quod facilè ſequũtur ſubditi, Pricipum apoſtasiæ. Quoniam ſicut ad bonum exemplum Regis, totus componitur Orbis: ſic e'contra, Rege deprauato, ſubditis ad õnia ſcelera fræna dimittũtur

Grotius. Concilium Elibertinum anno D. 303. ſtatuit, vt ſi quis Idola fregerit, & ibidem occiſus fuerit, in numero martyrum non ponatur, quia hoc nec in Euangelio docetur faciendum, nec ab Apoſtolis factum reperitur. Principum autem eſt hoc ius. nam Paganorum tẽpla non ante Conſtantij legem clauſa fuerunt, vt extat in vtroque Codice. Nec hæretici puniendi ſũt, quia iudęi nõ puniũtur. & Cõſtãtinus Paganos homines conſtituit Conſules.

Reſpondeo Eliberitanum Concilium cap.

60. id decreuisse, quia exemplo Eulaliæ martyris, quę impulsu diuini Spiritus commota coram tyranno id fecit, teste Prudent. him. 3. Cristianorum plurimi importuné hoc idem vsurpare cœperunt, quod huius Synodi Patribus displicebat: cum inde furor Gentilium aduersus Ecclesiam augeretur: at non sequitur inde, laicos Principes circa sacra ius habere: Etsi Regia potestate ad falsam inhibendam Religionem cooperari teneantur. Ecclesiæ autem Pastores super Paganos non habere directè potestatem, optimè norunt: cum Apostolus dixerit 1. Cor 5 *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?* & Petro curam ouium suarum Saluator commiserit, dicens. *Pasce agnos, & oues meas*. Idololatræ autem oues Christi non sũt: idcirco Patres Eliberitanæ Synodi, idola violẽter frangi iurè prohibuerunt: quia infideles nõ sunt Potestati Ecclesiasticæ subditi: Etsi subiecti fieri teneantur: quia omnis homo Euangelio sufficienter illi promulgato obedire tenetur.

Ad illud; Nec hæretici puniendi sunt &c. Dico vtique puniendos esse, tanquam rebelles, pacis & tranquillitatis turbatores atque blasphemos. nam olim falsi Prophetæ, idololatræ, blasphemi

phemi pœna capitis puniebantur. exod. 32. 3. Reg 18, 4. Reg, 10. 1. Mach. 2. cur etiam in nouo Testamento, non sunt gladio exterminandi? Si fures, raptores, adulteri, homicidæ, rebelles interficiendi sunt, eo magis hæretici: quia maiorem, & perniciosiorem dissensionem animorum in Regna immittunt. in memoriam redeat Grotij, & Grotianistarũ rumor, & dissidium Arianorum, Donatistarum, Nestorianorum, Eutichianistarum, Iconomacorum, & Albigensium, qui vniuersum orbem, vt ita dicam, turbarunt. enimuero hęretici maiori impetu Christianam pacem perturbant, quám homicidæ, fures, adulteri &c. at hi gladio puniuntur: ergo multo magis hæretici pœna capitis plectẽdi sunt. Iudæi autem inter Christianos tolerantur, quia per Iudæorum situs cõfirmatur veritas Christiana, vt August. monet lib. 18. de Ciuit. Dei. c. 46 nec periculum adest, vt Christianorum fidem euertant, & pacem turbent. at hæretici, qui sub pelle ouina, lupi existunt: cum sub colore Christianæ veritatis, illam corrumpant, & cuncta subuertant, exterminandi sunt. Quod docuit Petrus, cùm Act. 5. Ananiam, & Saphiram occidit. Paulus dum Corinthium tradidit Satanę 1.

Cor. 5. & cùm Elymam magum excœcauit, eo quia vias Domini peruerteret, Act. 13. imò Saluator ipse hoc annuit, cùm flagello ementes & vendentes de Templo eiecit: nam si ementes flagellauit, quid contra doctrinæ suæ corruptores ac deprauatores operatus esset? Præterea Cum Grotius Imperatorum leges etiam supra Christum Dei exaltet, qua nunc fronte illas conculcat, exterminium hæreticorum mandantes? Nam vel exilio puniendi sunt L. *Ariani*, C. de Hæreticis, vel mulcta pecuniaria, L. *Cuncti hæretici*. vel amissione bonorum omnium. L: *Manichæi*. vel pœna capitis, L. *Quicunque*, eodem Codice. Constantinus autem, quia Magnatem aliquem Paganum Consulem instituit, est venia dignus, nam Romanum Imperium tunc nouiter Christianam fidem acceperat: Senatores autem tunc Paganos ab Imperij administratione illico abijcere non licebat: & pro Reip. pace seruanda: & vt mitius, & facilius Christiana religio propagaretur.

Grotius. Ezzecchias serpentem æneum confregit. 2. Decreta Nicænæ synodi secundæ Carolus magnus irritauit, quia vetuit imagines coli. 3. Iustinianus vetat Episcopum ludere aleis, adsistere spectaculis. 4 Platina ait:

Vtinam

Vtinam Ludouice viueres, indiget Ecclesia tuis institutis. 5. Dauid Arcam mandat transferri. 6. Salomon Templum Deo dedicat. 7. Iustinianus in Codice omnia ad fidem spectātia ordinat. 8. Galliarum Rex Tridentinæ Synodo inquit, vt Acta habent, multa de rebus sacris Galliarum Reges exemplo Constantini, Theodosij, Valentiniani, Iustiniani, & aliorū Christianorum Imp. edixisse; & plures Ecclesiasticas leges tulisse: easque antiquis Pontificibus non solúm non displicuisse, verúm etiam in sua decreta retulisse: ergo omni tempore summæ Potestates circa sacra imperium habuerunt.

Respondeo, Acta, iura, & potestatem Regum, & Sacerdotum veteris testamenti transferre nō licere ad Christi Vicarium, & Christianos Reges. vt cap. 1. ostendi. Addo, quod hęc serpentis ænei confractio, mandato Regis Ezzecchiæ opere completa, primatum eiusdē circa sacra non infert: nam serpens ille ęneus, qui mandato Dei Num. 21. erectus fuit, temporis progressu in abusum transierat, quia filij Israel ei incensum adolebant 4 Reg. 18. hunc abusum abstulit Ezzecchias, quem & cæteri etiam auferre potuissent: at Regis mandato fa

ctum

ctum est, non quia circa sacra imperium, quod summi sacerdotis erat, obtinebat: sed quia Deus omnibus Iudæis Deut. 7. hoc imperauerat: vt scilicet sculptilia frangerent &c. ipse, qui Regio gaudebat imperio, primus in exequendis diuinis mandatis esse debuit. Ad 2. respondeo iniquum esse mendacium, affirmare Carolum magnum vetuisse imagines coli, & septimam synodum damnasse. Veritas autem hæc est, quod idem Carolus circa septimam synodum plura Adriano Papæ proposuit dubia per Angilbertum Abbatem, & regiæ Cappellæ ministrum: primum fuit circa processionem Spiritus sancti ex Filio: quia Tharasius Constantinop. episcopus dixerat spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere. Adrianus autem per epistolam respondit, septimæ synodi partes suscipiens, Carolo magno responsionibus suis satisfecit. Nec aliquando cultum sacrarum imaginum interdixit: imò qui hoc Carolo pio et catholico Viro impingit crimen, maximé errat.

Ad 3. dico, Iustinianum legibus suis, sacris Ecclesiæ Canonibus patrocinari debuisse: suisque subditis eorum obseruantiam imperialibus legibus mandasse. hoc autem non est imperium

um circa ſacra obtinere : ſed patrocinium circa ſacra exequi . Si autem aliter ſenſerit , errauit: vtinam Imperatores nunquam erraſſent . Ac 4. Platinam hunc eundem ſenſum illis verbis habuiſſe, quem nuper expoſuimus. Ad 5. dicimus quia Rex Dauid deduxit Arcam Domini non ideo primatum Eccleſiæ habuiſſe: nam ſi omnis multitudo Iſrael hoc præcepiſſet,non ideo omnis multitudo Primatum Eccleſiæ obtinuiſſet. Regi autem Arcam Domini attingere non licebat : ſacerdotibus vtique: igitur ſacerdotes Regibus pręferuntur in his quæ ad Religionem pertinent . Ad 6. Salomonis primatum circa ſacra non rectè colligi ex eo quod Templum ædificauerit :nam nunc multi nobiles, & mercatores diuites Templa ædificant: omnes clerici ibi publicé orant : nec tamen illi primatum circa ſacra ſibi vendicant . Addo , quod Acta huiuſcemodi veteris teſtamenti, vt pluries diximus,ad euangelicam legem trāsferri non debent. Ad 7. & 8. ſatis dictum eſt ab initio : ſub genere nempe patrocinij hæc, & ſimilia collocanda eſſe.

Grotius. Eccleſia ius leges ferendī non habet,canones dat, ideſt regulas, non leges .in Rep. enim duæ ſummę Poteſtates, quæ ius ha-

beant

beant condendi leges, esse non possunt. Nec summæ Potestates á canonibus ligantur, nisi eo modo quo à suis legibus ligari volunt. & Balsamo ad can. 16. Conc. Cartag. inquit, ius nouas Metropoles instituendi Imperatorum esse: quod patet per Nouellam Iustiniani 11. in causa Iustinianeæ primæ in Illirico.

Respondeo, Romanã Petri cathedrã & Ecclesiæ Pastores præcipué in Synodis congregatos, plenissimam potestatem leges sacras ferendi à Christo D. accepisse Matth. 16. & 18. *Quodcunque ligaueris &c. & Quæcunque ligaueritis &c.* non funibus, sed legibus: Act. 15. *Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria etc. Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum.* Rom. 3. *Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus.* 1 Tim. 5. *Aduersus Præsbiterũ accusationẽ noli recipere nisi sub duob⁹ aut trib⁹ testibus.* Hic apertissimè Apostolus leges iudiciales Ecclesię præscribit. 1. Cor. 11. *Laudo vos quod præcepta mea tenetis.* 1. Thess. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis.* & ibidem. *Qui hæc spernit, non ho-*

minem

minem spernit, sed Deum qui spiritum suum sanctum nobis dedit. & 2. Thess. 3. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini illis.* Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris et subiacete eis etc.* Pręceptum autẽ quod perpetuó & ab omnibus seruandum, est idem est quod Lex, vt Iurisperiti norunt.

Et Ecclesię Canones veras ac proprias leges esse, manifestimè constat: nam omnes legum conditiones habent. Lex enim, vt inquit Arist. 1. Etic. 9. est sermo ab aliqua prudentia & mẽte profectus, quę vim habet ad cogendum: canones à Pastoribus spiritu sancto edoctis procedunt, qui fideles ad illos seruandos cogunt sub pœna anathematis: vt factum est ab initio Ecclesiæ: & vt verlatis circa illos patet. Lex debet esse iusta; & præterea communis, quia in hoc distinguitur à Præcepto: & communem vtilitatem respicere debet: & ab habente auctoritatem ferenda est. Canones autem omnem tenent rectitudinem; ad omnes fideles diriguntur, vt seruentur: communem afferunt vtilitatem: quia veram fidei & morum, ac diuini cultus doctrinam pro æterna fælicitate assequenda exhibent: & ab auctoritatem habentibus traduntur: ab illis quippe, quibus à Domino di-

ctum est. Matth. 16. *Quodcunque ligaueris etc.* & cap. 18. *Quæcunque ligaueritis etc.* igitur Canones sunt proprijssime ac verissime leges. nec obstat quia Regulæ dicuntur: quia omnis lex, etiam ciuilis Regula est, quę vitanda vel facienda præscribit: leges autem Ecclesiasticæ, canones dicuntur, vt á ciuilibus legibus distinguantur, & quia nobilioris ac altioris ordinis sunt: à quibus ciuiles leges dirigi debent, eisque cedere cùm simul pugnant. Necessitas enim leges canonicas exhibendi, inde manifesta est, quia Deus in lege Euangelica non disposuit in particulari de omnibus que necessarió exequi debent: sed quędam tantúm substantialia fundamenta huius spiritualis Reip. instituit: reliqua verò disponenda per Ecclesię Pastores reliquit: tum vt suauiter, modo hominibus accomodato omnia ordinarentur, tum quia non poterant omnia in particulari determinari, vt essent immutabilia: cum omnia non omni tempore expediant.

Cùm Grotius inquit, In Repub. duæ summæ Potestates ius leges ferendi habentes, esse nequeunt. Respondeo hoc repugnare de legibus eiusdem ordinis & conditionis, non autem si fuerint alterius generis, vt sunt leges ciuiles & eccle-

Ecclesiasticæ:implicat moraliter contradictionem, vt in eadem Rep. duæ adsint Potestates ciuiles: at si vna sit ciuilis potestas, Ecclesiastica altera, nulla est contradictio. si vtraque potestas, Ecclesiastica & ciuilis eiusdem generis leges ferret, manifesta adesset repugnantia: verúm quia leges sunt alterius generis, nulla extat contradictio.

Ad illud: Nec summa Potestas á Canonibus ligatur &c. Respondeo maximè ligari: itaut nisi Canones seruet & veneretur, á Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, anathemate resindatur, Ethnicus fiat & paganus, & expers salutis æternæ. hinc discat Grotius quàm digniores sint ciuilibus legibus, Ecclesiasticæ. nam Princeps ciuilib⁹ legib⁹ solutus est, hoc sẽsu, vt si legem transgrediatur, pœnis legum coerceri non posit, iuxta Theologorum, & Iurisperitorum sententiam: at si Ecclesię leges contemnat, á Deo contemnetur, vt Luc. 10. monet Saluator: eritque ab Ecclesia recisus, & à Regno cœlorum exclusus.

Nouas autem Metropoles instituere ecclesiasticas, nõ ad Imperatores, & cõsimiles, sed ad Petri successorẽ pertinet. & cũ Iustinianus Iustinianeam in Illirico Metropolim suis legibus

instituit: auctoritate Vigilij Romani Pontificis, non propria id sanciuit, vt ipse Iustinianus testatur: & nos supra enarrauimus. Balsamo autem à Grotio citatus, fidelis historicus á peritis, & sanis hominibus non æstimatur, quia aulica adulatione plures eructauit falsitates.

Grotius. Perpetua canonum obseruantia nõ est necessaria: nam Apostolicus canon 1. Tim. 3. vt Neophitus non fiat Episcopus, quem renouauit Laodicena Synodus, non seruatur á Theodosio Imp in electione Nectarij: & á Valentiniano in electione Ambrosij: Canon etiam ille, Ne in Diaconissam eligatur vidua quæ annorum saltem sexaginta non sit: quem Theodosius L. Nulla. Cod. Theodos. de Episcopis & Clericis confirmauit, à Iustiniano dissoluitur, qui nouella 123. quadragenariam eligi permisit. & Hebræorum Reges nec quædam à Diuina lege mandata seruauerunt. nam illud Leuit 7. ne quis impuratus Pascha manducaret, Ezzechias Rex dissoluit, dum fusis ad Deum præcibus, etiam immundis de sacro vesci permisit, 2. Chron. 30. Item Lex Moysis Leuit. 1. præcipit, vt pecudes per Sacerdotes ingulentur: nihilominus Leuitæ sub Ezzecchia Rege ob Sacerdotum penuriam huic sacerdotali mu-

neri

neri bis addicti fuerunt 2. Chron. 29. & 3. nõ infertur tamen inde Regem diuinam posse soluere legem: sed ius illam interpretandi habere. Quod verum esse, Dauid Rex opere docuit: dum panem propositionis, quo solis Sacerdotibus vesci licebat, fugiens à facie Saul comedit, 1. Reg. c. 21. & Machabęi tandem, etiam die sabathi pugnare aduersus hostes licere interpretati sunt, contra diuinum mandatum de sabatho custodiendo.

Respondeo, sacros Ecclesiæ canones, duplicis esse generis: vel circa fidem, vel circa mores: primi generis semper eodem modo obseruandi ac custodiendi sunt: quia fidei obiectum est Deus reuelans, qui non est, vt homo, qui modo ait, modo negat: nec propter nostrum affirmare, vel negare, fidei dogma est verum, vel falsum, vt patet: secundi generis sunt dispensabiles, sed ab eo, qui illos condendi habet potestatem. Quamobrem vera est illa propositio iuxta hunc sensum: Qui facit legem potest destruere legem: Principes autem laici, cõdendi canones, omni iure carent: igitur nec illos soluere possunt: si autem huiusmodi canones quandoque non seruent, & à Potestate Ecclesiastica dispensationem non obtinuerint:

vel

vel tunc Pastor Ecclesiæ solutionem illam dissimulat: & sic illi Canones soluti dicuntur ab Ecclesiastico Principe per tacitum consensum: vel obsistit, & contradicit, & tunc violatæ legis reus erit. nam sacris Ecclesiæ legibus est humiliter parendum, quia in Cœlo sunt ratæ, & sancitæ, Matth. 16. & 18. *Quodcunque ligaueris super terram etc.*

Interpretationem enim legum tripliciter Iurisperiti distinguunt, in authenticam, vsualem, & doctrinalem: prima fit per legislatorem: secũda fit vsu & consuetudine: tertia fit per doctrinam interpretis. prima, interdum primum sẽsum legis variat: idcirco omnes legis conditiones habere debet; Secunda potest fieri cursu temporis authentica: tertia non est authentica nec habet vim legis, quia non est ab habente iurisdictionem: ideoque obligationem non inducit. nihilominus si ex aliqua circumstantia lex in aliquo casu seruari non potest, & recursus ad Principem non sit promptus nec facilis, tunc Epijchia vti licet ex iudicio probabili, & naturali æquitate: & eo tempore opus huiusmodi non dicitur esse contra legem, quia fini & intentioni legislatoris non opponitur.

Nunc ad rem: electio Nectarij, & Ambrosij

ad

ad munus Pastoris, licet contra canones facta videatur, cum neophiti fuerint, attamen iuris canonici fini ac intentioni non opponitur: quia neophito Ecclesiastica dignitas interdicitur, ob inexperientiam, & imperitiam circa diuina: at Nectarius, & Ambrosius viri erant magnæ nobilitatis ac prudētię: Nectarius enim Senatorij ordinis erat, & eo tempore ætate grauis, & honestissimis moribus, & Imperatoris studio, & vniuersæ Synodi sententia Episcopus Constantinop. electus est. Ambrosius similiter vir erat nobilis, ex Patre Galliæ Præfecto natus, & eximiæ prudentiæ & eloquentiæ: ideo accedente Romani Pontificis, saltem tacito consensu, quia non obstitit, nulla adfuit Canonum violatio. etenim custodia Canonum ad Romanum Pontificem spectare circa Pontificum & Conciliorum Acta versatis, conspicuè patet: & his quę in hac disputatione præmisimus, manifestum est. Quod etiam circa Diaconissarum institutionem affirmare oportet: nam á Romani Pontificis consensu vel tacito vel expresso illa ætatis permutatio processit.

Rex Ezzecchias 2. Paralip. 30. Legem quæ Leuit 7. habetur in ritu sacrificandi non seruauit:

uit: quia cum Templum Domini pollutum fuisset vt capite antecedenti legitur; & vniuersus populus á Domino recesisset: Ezzecchias, vt regimen Regni obtinuit, mandato suo vniuersum populum ad Dominum illico reuocare voluit: ideoque cum omnem populum ad legis diuinæ obseruantiam statim vellet inducere, & abhominationes quas fecerant abijcere, non seruatis quibusdam conditionibus, quę in lege erant, multa obtulit Domino sacrificia: Rex igitur id fecit, vt populus ad Dominum sinè mora conuerteretur, & abominationes cito reiiceret, nõ vt legem diuinam solueret. suasit id ergo Rex, vt cuncta iuxta legem Domini fierent per Sacerdotes, idcirco cap. 29. sic legitur. *Filij mei nolite negligere: vos elegit Deus vt stetis coram eo, et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum. Surrexerunt ergo Leuitæ etc.* Hæc autem legis Mosaicæ interpretatio, nec authentica, nec vsualis fuit, vt patet, quia Rex supra legem Dei nullum habuit ius: non vsualis, quia semel factum est: igitur doctrinalis, habens etiam quandam naturalem æquitatem: quia vt populus ad Dominũ, quem abiecerat, reuerteretur: & præscriptis à Domino legibus sacrificia deinceps offerret, factum
est

eſt, vt prima vice, quomodocunque id exequi potuiſſent, illud inchoarent.

Dauid autem panes propoſitionis comedit, quibus Sacerdotibus tantùm veſci licebat: quia neceſſitas vrgebat: naturali itaque lege vſus eſt, quæ poſita ſumma neceſſitate, omni iuri poſitiuo prçualet: qua non tantùm Rex, ſed quilibet de populo vti poteſt: id ergo quod Dauid tunc operatus eſt, non oſtendit diuinam legem ſolui licere: ſed ius naturale iuri poſitiuo, poſita occaſione legitima præualere: & hoc modo ius iuri cædit: vtrumque enim diuinum erat: ius enim naturale menti noſtræ à Deo, vt legislatore inſertum eſt: & hoc iure naturali vſi ſunt Machabęi, cùm die Sabathi ob ſalutis propriæ, & diuinæ legis tutelam aduerſus hoſtes pugnauerunt. nihil ergò Regiæ poteſtati id confert: cum omni homini hoc eodem modo operari liceat: illatio igitur Grotij nulla, & inanis eſt.

CAPVT NONVM
De Iuriſdictione circa Sacra.

GRotius. Sacerdotibus nulla ineſt iuriſdictio: omni carent iudicio coactiuo,

 & im-

&imperatiuo. Sacerdotes in ſtatu legis naturalis cúm iuriſdictione vſi ſunt, non quatenus Sacerdotes, ſed vt Magiſtratum obtinebant, operabantur. in lege Moyſis iuriſdictione vſi ſunt Sacerdotes, nihilominus ſub Regia poteſtate erant. in Euangelio tamen Sacerdotes nullum imperium, nullam iuriſdictionẽ, nullam habent poteſtatem: Virga qua Paulus 1. Cor 4. vſus eſt. pœna illata à Petro in Ananiam, & Saphiram Act. 4. Elymæ cœcitas. Himeneus, & Alexander traditi Satanæ. facinoroſus 1. Cor. 5. iudicatus ab Apoſtolo, & ſimilia, quę in diuinis leguntur ſcripturis, tũc Apoſtolis, & deinde Eccleſiæ miniſtris operari datum eſt: quia eo tempore ius Eccleſiam purgandi ſummæ Poteſtates non exercebant, quia Eccleſiam paruipendebant: ius tamen illam purgandi ſemper habuerunt: tunc autem Deus reos puniens, munus ſummarum Poteſtatum ſupplebat. & quemadmodum manna Iudæis non pluit, cùm Terram Paleſtinorum ingreſſi ſunt: ſic poteſtas illa Apoſtolorum ceſſauit, cùm Imperatores Eccleſię patrocinium ſuſceperunt. nec hominum erat aliquando illa poteſtas, ſed Dei, qui Euangelij præconibus teſtimonium præbebat.

Re-

Reſpondeo, Grotium, vt omnem Eccleſiaſticam poteſtatem deprimat, plura, quæ obiecit, repetere: vt ſunt ea, quæ de Salomone, Nabuc. Ioſia, Imperatoribus, & alijs profert: quæ cum ſupra ſoluta, & reiecta fuerint, ea iterare opus non eſt. ſupereſt nunc, vt ea refellamus, quæ ſubdit, poteſtatem ſcilicet, qua vſi ſunt Apoſtoli ad Principes laicos tranſiiſſe, cúm oues facti ſunt Chriſti. Præcipua Eccleſiæ Paſtorum poteſtas eſt, leges ſacras ferre, & eas ſoluentibus anathema inferre: & fidei controuerſias dirimere, hæreticos eſſe, qui contradicunt ſancire: dic mihi Grotie, quis annunciauit tibi, vnde has ineptias accepiſti, vt poſt Cõſtantini conuerſionem ad Chriſtum, hæc poteſtas in Eccleſiæ Paſtoribus amplius non fuerit? perfidiam Arrii non Conſtantinus, ſed Nicæna Synodus iudicauit, damnauit, anathematizauit: leges ſacras, quas eadem tulit Synodus num leges non ſunt? perpende illas Grotie, & veras eſſe leges videbis. Macedonium, & Apollinariſtas occidentalium libellus, & Synodus Conſtantinop. coacta iudicauit, damnauit, & anathematizauit, non autem Theodoſius tũc Imperator. Neſtorij hæreſim Synodus Epheſina, & Eutichetis inſaniam, Chalcedonenſe

Concilium, non Theodosius aut Marcianus anathematizarunt: hoc ipsi Principes professi sunt, vt in Actis Synodorum patet: & plures Ecclesiasticas leges tūc Ecclesiæ Pastores dederunt: quas Imperatores non constituerunt, sed eas venerati sunt, & eorum auctoritate patrocinati fuerunt, & præterea nihil: vt omni legenti patebit. qua ergo fronte oppositum propalare audes? igitur Apostolorum potestatem ad Imperatores trāsijsse, vetus Ecclesia nec credidit, nec docuit. cur tu qui nuper Christiano nomine gloriaris, has ineptas cum cæteris nouatorabus opiniones somniasti? Act 6. synodi Chalced. cúm Martianus Imperator Synodo adfuit, quædam capitula legibus sacris firmanda Patribus obtulit, dicens. *Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reuerētiæ vobis seruauimus, decorum esse iudicantes à Vobis hæc regulariter potius formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri*: capitula autem hæc tria continebant. Vt nullus ædificet monasterium contradicente Episcopo: neque in possessione contradicente Domino possessionis. & Monachos omnes episcopis subiectos esse debere. Vt nullus Ecclesiasticus curam suscipiat in domibus sæcularium hominum, vel

posses-

possessionum, adeo quod Procurator fiat. Et vt Clericus vnius Ecclesiæ; pro Clerico ab alia Ecclesia assumi non possit. Martianus Imp. nouit ad Synodum circa sacra leges ferre spectare: & Grotius id negare audet: & has v ras esse leges ex eodem Martiano, & ipso verborum sono conspicuè cernitur, & Grotius renuit. Antiqua Ecclesia Catholica hoc nouerat, & credebat: igitur Grotius nouator somniorũ est, dum ab Ecclesiæ Pastoribus omnem auferre potestatem, & iurisdictionem conatur: & huiuscemodi ius ad laicos Principes transijsse: nam omni tempore Ecclesiæ pastores leges in Synodis præcipué dederunt.

Cùm Grotius inquit, nec hominum erat illa potestas, sed Dei &c. Respondeo, cùm miracula operabantur, tunc diuina potestate ea facta fuisse scimus: at cúm Synodum congregabant; cúm præcepta, & leges condebant; cúm facinorosos iudicabant: cùm reos tradebant Satanæ: cúm formam iudicandi adhibitis duobus aut tribus testibus statuunt: cúm anathema fulminabant, Gal. 1. cúm potestatem populis leges pro soluendis decimis præscribendi ipsos habere docent. 1. Cor. 9. cùm Vrbibus episcopos, pagis autem præsbiteros Præsides statuunt

unt ad Tit. 1. & cætera huiusmodi: tunc Ecclesiastica vtebantur potestate: qua similiter Ecclesiæ Pastores vsi sunt, postquam Romani Imperatores oues facti sunt Christi: vt in ipsa generalium serie Synodorum luculenter constat.

Grotius. Vsus autem Clauium figura quadam appellatur iurisdictio: Sicut figura quadam, prædicatio Euangelij vocatur legislatio. Nam cúm á peccatis soluunt, haud soluunt, sed solutos indicant. Et Petrus lombardus 4. sent. d. 18. ait. *Sacerdotibus tribuit Deus potestatem soluendi & ligandi, idest ostendendi homines solutos & ligatos.* & mox. *in soluendis ergo culpis vel retinendis, ita operatur sacerdos Euangelicus & iudicat, sicut olim legalis in illis qui lepra contaminati erant, quæ peccatum signat.* Et sic Cyprianus intelligendus est, dum inquit. Sacerdotem iudicem esse vice Christi: Sicut Paulus dicebat, Legatione fungimur pro Christo, quia scilicet iudicium Christi Sacerdos annunciat. & Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19. ait. Sacerdos quidem officium exhibet, sed nullius potestatis iura exercet. Augustinus aduersus lit. Petiliani lib. 3. c. 54. ait. *Administrandum et dispensandum verbum ac*

Sacra-

Sacramenta aliquid est Pastor: ad mundandum autem & iustificandum non est aliquid, quia hoc non operatur in interiori homine, nisi per quē creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo. Hieron. in Matth 16. *Quomodo Sacerdos leprosum mundum vel immundum facit, sic Episcopus vel Præsbiter alligat & soluit. &c.*

Respondeo Claues Ecclesiæ veram ac realem iurisdictionem & potestatem præseferre. quod patet primò, quia dato opposito, metaphora clauium non subsisteret, sed inepta esset. nam Clauis aperit & claudit: non autem ostendit Ostium fuisse clausum vel apertum. Secundò, quia vt demonstratum est, Pastores Ecclesiæ habent realem potestatem leges ferendi, iudicandi, puniendi &c. ergo vsus clauium veré & propriè & non figuraté appellatur iurisdictio: potestas enim Ordinis & iurisdictionis communi consensu á Patribus & Doctoribus, Clauis dicitur Regni cœlorum. Cum ait: Sicut figura quadam prædicatio Euangelij vocatur legislatio &c. hæc inquam propositio omni falsitate redundat, nam Euangelium legem Christi continet: & Christus Dominus fuit nō tantúm Redemptor, sed legislator: psal. 2. *Ego*

autem constitutus sum Rex ab eo &c. prædicans præceptum eius. Isai c. 33. de Christo ait. *Dominus legifer noster, ipse saluabit nos*. & cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. & loqui Prophetam de Euangelio, quod in monte Sion firmatũ est ob aduentum Spiritus sãcti super Apostolos, nemo est, qui dubitet. lex enim Moysis de Sina, Euangelica autem de Sion. & cap. 42. *Legem eius insulæ expectabũt*. Hierem. 31. *dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos &c.* quod autem iugum sit lex, patet Act. 15 vbi lex Moysis dicitúr iugũ graue &c. Ap. 1. Cor: 9. *Cũ sinè lege Dei nõ essẽ sed in lege essẽ Christi*. & ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Ad Rom. 3. *legem ergo destruimus per fidem? absit. sed legem statuimus*. & Euangelium legenti hæc patet veritas, idcirco Gregorius homil: 27. in Euang inquit *Cum cuncta sacra eloquia Dominicis plena sint præceptis, quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato Dominus dicit, Hoc est præceptum meum &c*.

Si autem Grotius ea dixit, vt Apostolos legislatores non fuisse persuaderet: propositiò

hæc

hæc distinctione indiget. si dixerit Apostolos Euangelicæ legis auctores non fuisse, sed tantùm præcones, & hoc verum est: nam iuxta hunc sensum, Christus tantùm est legislator. si autem affirmare voluerit Apostolos, & successores eorum nullas leges ferre potuisse Ecclesiasticas, & hoc falsissimum est: quia Saluator noster non omnia disposuit in particulari, quædā enim substātialia fundamēta huius spiritualis Reip. instituit: reliqua verò disponenda per Pastores suos reliquit, vt superius diximus. hæ autem Ecclesiasticæ dispositiones ab Apostolis, & eorum successoribus firmis legibus figuntur: vt hucusque ostendimus.

Ad illud, cùm á peccatis soluunt, solutos indicant &c. Respondeo non indicare solutos, adeo quod ante sacerdotum ministerium absolutionē obtinuerint: sic enim esset verbis Saluatoris ludere: sed indicare solutos, quatenus remissio culpæ, & infusio gratiæ sanctificantis efficienter á Deo pendet: at hunc effectum Deus non producit, nisi accedente Sacerdotū ministerio: patet conspicuo exemplo. Organizatio Corporis humani non attingit animæ creationem: sed necessitat Deum ex pacto, vt authorem naturæ ad creandam animam. sic

in ministerio sacramentorum sacerdotes sanctificationem animæ non causant principaliter: sed dum sacramenta conficiunt, & conferunt, necessitant Deum ex pacto voluntario vt authorem gratiæ, ad effectum sacramentorum exhibendum. At non omne Ecclesiasticū ministerium eodem modo se habet. cum enim Ecclesiastica potestas leges morales fert, verbi gratia, circa Dominicæ diei sanctificationem: tunc propria potestate illi á Dño concessa sub metaphora ligādi & soluendi fideles, suis cogit legibus. Patres autem à Grotio citati de sacramentorum effectibus locuti fuerūt, qui à Deo efficienter producuntur, à ministris autem Ecclesiæ instrumentaliter atque moraliter: non autem generatim quoad omne Ecclesiasticum ministerium: quia in legibus moralibus ferendis sunt principales causæ: ita ut legum obligatio áb eorum pendeat arbitrio.

Grotius. ius ergo Pastoris est sicut ius præconis. summa autem potestas si malè iudicauerit, sententia tamen firma est. Cum pœnitentiam Pastores imponunt, non potestatem exercent, sed quid ex lege faciendum, vel fugiendum est annunciant: sicut Medici, Iurisconsulti, amici &c. qui consulunt non præcipiunt.

piunt. Cum Pastor baptizat, & Eucharistiam præbet, nullam exercet iurisdictionem: sed sicut Medicus operatur, qui infirmo sinè iurisdictione aliqua aquam denegat, vel porrigit! Cum deponit, & anathematizat, nullam tenet iurisdictionem, sed sè ab illorum consortio; subtrahit, quod sinè iurisdictione exequitur. Canones autem synodorum non iurisdictionem indicant: quia cogendi vim non obtinēt, nisi consentientibus summis Potestatibus: vel ex consensu partium: vel quatenus ex lege naturali rectitudinem habent, quæ offendicula vitari præcipit. Postquam autem Imperatores Christianismum amplexi fuerunt, tūc demùm iurisdictionis aliqua pars Pastoribus officio publico fungentibus concessa est: eaque triplex; aut iure ordinario, aut ex consensu partium, aut ex delegatione. iure ordinario concessum est episcopis iudicare de Religione: quod concessit Valent. 1. cuius rescriptum citat Ambrosius lib. 5. epist. 32 cúm inquit. *In causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis*. idest sacerdotes de sacerdotibus iudicare voluit. Eadem sententia repetita est ex Cōstitut. Arcadij, & Honorij, quæ sic habet. *Quo-*

ties de Religione agitur, Episcopos conueni t' agitare. idem dixit Valentinianus 3. l. 1. C. Theod. Est & alia Valentiniani 2. Theodosij, & Arcadij lex, quę causas dicit Ecclesiasticas episcopali auctoritate debere decidi, sequutus hos Iustinianus ait. de Religione ad episcopos, ad Metropolitanos, ad Synodos, ad Patriarchas iudicium pertinere. Ex consensu partium; nam olim tam Clerici, quàm laici apud episcopum litigabant. Hanc ex consensu iurisdictionem à Constantino episcopi acceperunt; tanto cũ iure, vt non liceret vlterius agitare negotium, quod episcoporum sententia decidisset, idest remota appellatione. Postea ex Conc. Chalced. cap. 9. non licuit Clericis aduersus Clericos ad iudicia sæcularia accedere. nec tamen si Clerici secus fecerint sæcularis iudex iurisdictione caret, Quod autem á sententia episcopi electi à partibus appellare nemini liceret, idem Arcadius, Honorius, & Theodosius epist. ad Theodorum Manlium Præfectum Prætorio ostendunt l. 1. Cod. de sent. Præf Præt. l. à Proconsule C. Theod. de Appellat. sic autem legitur. *Episcopale iudicium ratum sit omnibus qui se audiri à Sacerdotibus elegerint: eamque illorum adiudicationi adhibendam esse reuerenti-*

am

am iubemus, quam vestris deferri necesse est Potestatibus, à quibus non licet prouocare. A' Præfectis prætorio non appellabatur nisi ad Imperatorem. quod à Iustiniano Patriarchis concessum est. Tandem ex delegatione, & hoc modo plura á summis Potestatibus concessa Episcopis fuerunt, quæ nec á diuino, nec ab alio iure habent.

Respondeo, in præmissa Grotij sermocinatione tria contineri mendacia: primum est, Sacramenta ministrare, & reos anathematizare non esse actus iurisdictionis. Secundum, Ecclesiæ canones vim cogendi non habere. Tertium, omnem iurisdictionem, quam Pastores Ecclesiæ habent ab Imperatoribus obtinuisse. Ad primum dico Ecclesiasticam potestatem triplicem esse, ordinis, iurisdictionis interioris, & iurisdictionis exterioris. prima ad sacramenta conficienda, & ministranda refertur: secunda ad Christianum populum in conscientiæ foro regendum: tertia ad oues Christi regendas in exteriori foro. Ad ordinis potestatem pertinet baptismum, & sacros ordines conferre, Eucharistiam cõficere, & ministrare, Chrisma, & oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem iurisdictionis interioris, criminum

causam

causam discernere, iudicare, taxare, absoluere, vel ligare. Ad potestatem exterioris iurisdictionis, Concilia conuocare, eisque pręsidere, leges sacras condere, causas audire, & iudicare, controuersias decidere, beneficia conferre, Ecclesiæ ministros constituere, delinquentes excõmunicare, & alijs pœnis multare, & omnes lites circa sacra iudicare. Huiusmodi autem, potestatem, Ecclesiæ ministrorum propriam esse, veram, & realem esse potestatem, & iurisdictionem, & laicis Principibus repugnare, in hoc Opere pluries ac satis ostendimus. omnis enim ouis Pastori subest: quilibet Pastor superior est oue. omnis Pastor, vt rectè pascat, potestatem, & ius sanam exhibendi doctrinam à Deo qui illud sanciuit Pastoris munus, obtinere debet, dum Ecclesiam voluit, vt vsque ad consummationem seculi permaneat. omnis Pastor virgam habet, vt oues dirigere, & si opus fuerit percutere, idest coercere valeat, & lupos hæreticos damnare. hæc sanis hominibus sunt per se nota, sed desertoribus hominibus ignota. si autem res ita se non habet, Saluatoris metaphora de ouibus, & Pastoribus inepta est, & insulsa, quod nefas est eructare. nam Pedagogorum, medicorum, & similium

qui

qui in ſuis exequendis muneribus iuriſdictionē non habēt, nec iuriſdictionis indigent, metaphoram aſſumere debuit: ſi autem Saluatoris metaphora ſubſiſtat, quæ dicimus, vera eſſe, affirmare cogimur.

Ad ſecundum, Ecceleſiæ ſcilicet Canones vim cogendi non habere. reſpondeo Eccleſię Canones veriſsimas eſſe leges, quæ ſicut cæteræ leges vim obligandi ſecum intrinſecè ferũt: nam quid illud eſt, *Quodcunque ligaueris &c?* ligare enim legem imponere ſignificat: Mat. 23 *alligant enim onera grauia et importabilia etc.* Canones autem non publicas leges dici, ob maiorem eorum dignitatem, & ad illorum diſtinctionem á ſæcularibus legibus, vt ſupra probauimus. Ad tertium, Paſtores nempe Eccleſiæ ab Imperatoribus omnem obtinuiſſe iuriſdictionem. Dico aſſertum hoc cum verbo Dei pugnare: nam vt pluries diximus, ſuper Petrum Deus fundauit Eccleſiam, ideoque petram illum dici ſanciuit, non ſuper Cæſarem. Petro dictum eſt quodcunque ligaueris &c. nō Cæſari. Petro dictum eſt, Pasce agnos & oues meas, non Cæſari, & poſt conuerſionem Cæſaris ad fidem, hanc Eccleſiaſticam poteſtatē ad Cæſarem tranſiſſe, impium eſt affirmare:

Et nam

nam rem tanti momenti, qualis est Ecclesiæ vniuersæ gubernatio, ab Apostolis & Apostolorum successoribus ad Principes sæculares abire debuisse, Saluator hoc docuisse debuit: sicut Petro illam dedisse expressé aperuit. Addo, hoc maximè repugnare diuinæ prouidentiæ ac sapientiæ: nam cum plures futuri essent Reges in Ecclesia: si regimen circa sacra apud illos esset, Ecclesia vnitatem fidei & Religionis non tenuisset: & sicut pugnant circa ciuilia, sic circa sacra pugnarent. & actu Reges, qui Petro subiecti non sunt vnitatem Religionis non habent. Ecclesia ergo Christi euanuisset, & turris adesset Babel, in qua confusum est labium vniuersæ Terræ. hæ sunt ineptię in quas latrocinales huiuscemodi adinuentiones prorumpunt.

Cum autem Principes sæculi leges circa sacra dederunt, ad sacra patrocinanda, tuenda, honoranda & exequenda illas constituerunt. si autem illorum quidam potestatem circa sacra habuisse putauerunt: cæteros sapientiores ac prudentiores proponimus, quos supra enarrauimus, qui hanc sibi repugnare potestatem palam edocuerunt. nec huius resolutio controuersiæ á Regum & Imperatorum opinionibus

& Actis

& Actis pendet, nisi quis cum Iuliano Cæsare fieri voluerit apostata; cum Constantio Arianus: cum Valentiniano Euthichianista &c. sed á verbo Dei, ab Euangelio, & sacrarum scripturarum doctrina, quæ Petro vsque ad consummationem sæculi hanc tributam potestatẽ docent, non Cæsari.

Grotius. Sicut hoc ius Imperatores Pastoribus Christianis tradiderunt, sic primatibus Iudæorum illud dederunt. nam Arcadius & Honorius de Iudæis cap. 13. anno 397. sic statuerunt. *Qui illustrium Patriarcharum ditionibus subiecti sunt, Archisinagogis, Patriarchisque ac Presbiteris, cæterisque qui in Iudaicæ religionis sacramento versantur, eadem priuilegia seruari volunt, quæ venerandæ Christianæ legis primis Clericis déferuntur.* ergo iurisdictio ministrorum circa sacra ab Imperatoribus emanauit.

Respondeo Grotium ex verbis his ius sæcularium Principum commodè potuisse discernere nisi odium contra Petri cathedram illum cæcum reddidisset. peto à Grotio, ius sacerdotũ veteris testamenti non est á lege Moysis sancitum? quomodo Imperator supra mandata Moysis, quæ à Deo ei data sunt, potestatem exercet?

ergo vel patrociniū tantúm huiusmodi leges præferunt, vel sunt ineptæ. hoc idem de legibus quæ pro Pastoribus Ecclesiæ & circa sacra dederunt, erit asserendum. vel enim patrocinium habent, vel falcem ponunt in alienam messem. Præterea Paulus Apostolus legatus Dei ad Galatas, imo omnes Apostoli Act. 15. legem Moysis euacuatam & postmodum mortiferam constituunt, quo iure Arcadius & Honorius Iudęorum legem & ministros illius, Pastoribus Ecclesiæ æquiparare audent? numquid Imperatores legem Moysis euacuatam & mortuam, ad huc viuam ac salubrem sancire possunt? si hanc habent Imperatores potestatē circa sacra, stat ad huc lex Moysis, quia Iulianus apostata templum Iudęis in Palestina restituit, vt maiorem Christo afferret contumeliam.

Dices pro Grotio Acta Imperatorū sic dānare nō licet Respōdeo, si nō licet acta cōtra Dei legem damnare, ergo probare, & cōmendare debemus Cōstantiū Arrianū, Iulianū apostatā, & consimiles: quæ mala sunt, damnari, & quę bona sunt commendari debent in huiuscemodi disputationibus, quæ circa diuinæ legis integritatem fiunt. secundò respondeo, Imperatores quosdam sensum in re nostra catholicum

habuisse

habuisse, quosdam oppositum operatos esse: hi posteriores á prioribus damnantur: Si ergo priores laudamus, posteriores non damnare, non possumus. Tu Grotie nihili facis Ecclesiasticam potestatem, & Principum laicorum iura super sydera cœli extollis. Ego cum catholicis iuxta uaEngelium, nobiliorem, præstantiorem, & superiorem æstimo potestatem Petri quorumcunque Principum auctoritate, nec tamen Regiam, vel Cæsaream paruipendo potestatem, sed illam noui atque obseruo: nec medicis, pedagogis, & artificibus æquiparo, vt tu Grotius in Christi dedecus, & contumeliã operatus es. qui enim alicuius ministros deprimit, & eum cuius sunt ministri spernit, vt ipse D. Lu. 10. dixit *Qui vos spernit, me spernit etc* sed nefarius satanas Deum, & diuina contemnit, quid mirum si hoc idem suadet hæreticis ministris suis.

Grotius. Canones summas Potestates ligare nequeunt, quia Imperator nulla lege pœnali potest obligari: hoc enim priuilegium est summarum Potestatum. Ambrosius apolog. de Dauid cap. 10. ait. *Rex erat, qui nullis tenebatur legibus*. Otho Frisigensis epist. ad Fridericum Imp. ait. soli Reges vt pote Constituti supra

leges diuino examini reseruati, sæculi legibus non cohibentur. hinc dicitur *Tibi soli peccaui* psal, 50. & Balsamo ad Can. 12. Synodi Ancyranæ inquit. Imperatoria vnctione pœnitentiam tolli, id est publicæ satisfactionis necessitatem, quia pœnitentia ad ignominiam vertitur Regis.

Respondeo; Ecclesiasticos canones quoscũque homines ligare, qui oues sunt Christi, quia sub Petri regimine degunt, sic mandante Deo, qui est vniuersorum Dominus. Imperatores, & consimiles Principes nulla lege ciuili pœnali obligantur, quia sic legibus ciuilibus soluti sunt; vt si legem transgrediãtúr, pœnis legum ciuilium coerceri non possint iuxta communem Doctorum sententiam; legibus autem canonicis, & sacris omnino subiacent: hoc sensu loquuti sunt Ambrosius & Otho Frisigẽsis. Quid autem est affirmare laicos Principes Ecclesiasticis legibus seu canonibus non ligari nec subiacere, nisi quia Principi licet fidem negare, & mores corumpere? hoc autem nec barbari, nec insani homines machinari audent: canones enim doctrinam fidei, & morum mãdant seruandam iuxta Dei legem ac voluntatem: audi Grotie Virum veteris Ecclesiæ catholicę, do-

ctrina

ctrina, & sanctitate conspicuum, Gregor. scilicet Nanzianz. Orat. 17. ad Pop. tim. per. *Qu d autem vos Principes, & Præfecti? ad vos enim nostra se conuertit Oratio. an me libere loquentem æquo animo fereus: nam vos quoque lex Christi Imperio meo ac throno subijcit, Imperium nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius, nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere* Hec doctissimi Viri, & circa sacra peritissimi, sententia, Nouatorum temeritatem, & impudentiam conculcat, qui Ecclesiæ Pastores Pedagogis, medicis &c. assimilare non erubéscũt. Sicut enim iustitia legum ciuilium à iure naturæ originem trahit, sinè qua iustitia lex esse nõ potest, nihilominus suas dicit esse leges, qui illas fert, etsi aliunde vim habeant iuris, & cogendi: sic sacræ Ecclesiæ leges, etsi à principijs diuinæ legis Euangelicę extrahantur, attamen Ecclesię Pastorum, qui illas extrahunt, & constituunt, leges dicuntur. Præterea Principibus laicis oues esse Christi nõ repugnat: ergo neque Petro, & successori, omníum ouium Pastori subesse repugnabit.

Ad illud Balsamonis, pœnitentiam scilicet ad Regis ignominiam verti: dico hominum

circa

circa sacra frigidorum esse machinationem. sa niori autem sensu hoc nouit Ambrosius, quám Balsamo, qui sapientiæ, & sanctitatis Ambrosij nequefuit aptus discipulus. quod autem operatus est Ambrosius, cunctis patet. Quid enim spectabilius, quám Principes intueri euangelicæ doctrinę humiles ac obsequiosos exequutores?

Grotius. Otho Frisigensis res Henrici scribens ait: lego, & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam ante hunc, à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum, nisi fortè quis pro anathemate habendum ducat; quod Philippus ad breue tempus á Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus: & Theodosius ab Ambrosio propter cruētam cędem á liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. idem habet Godefridus Viterbiensis Chron. par: 17. Onuphrius Panuinius ait. Nam etsi antea Romani Pontifices tanquam Christianæ religionis capita, Christique Vicarii, & Petri successores colerentur, non tamen eorum auctoritas vltra protendebatur, quam in fidei dogmatibus, vel asserendis, vel tuendis. cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia

nia fiebant, ab ijs creabantur, de ijs iudicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Greg. 7 armis Normandorum fretus, opibus Comitissę Matildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello ciuili laborantium inflammatus, præter maiorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, á quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dicam excommunicare, sed etiam Regno imperioque priuare ausus est. res ante ea sæcula inaudita. &c.

Respondeo. Romanum Pontificem Petri Successorem semper eandem habuisse potestatem: at temporum ratio causa fuit, vt ea semper cùm opus fuit, executioni mandare nequiuerit. Quamobrem cum ceteris Catholicis Doctoribus dicimus Papam non eo iure posse Reges deponere, quo deponit Episcopos, hoc est tanquam ordinarius Iudex: sed quia absolutus ac supremus Princeps est circa Religionem Christianam, & sacra; & omnes Christiani, oues illius sunt; si necessitas vrgeat, si animarum salus, & Religionis ruina instet, &

Principis

Principis incorrigibilis adsit contumacia; potest, & debet Principem laicum deponere à Regni regimine; subditos á fidelitatis iuramento absoluere, eosque ad idoneum sibi Principem obtinendum dirigere: vt salus Regni, religionis, & subditorum seruetur integra. ipse enim Pater, & Pastor est omnium Christianorum, qui Deo pro cunctis ouibus suis debet reddere rationem. Fateor spiritualem, & temporalem potestatem, seu Ecclesiasticam, & ciuilem in se consideratas diuersas esse: & vnamquãque suas habere conditiones, proprietates, & leges: at si ad inuicem æquiparentur, Ecclesiastica ciuili est pręstantior superior ac nobilior: quod patet ab vtriusque fine. prior respicit æterna, posterior temporalia; & ciuilem tranquillitatem: at ciuilia æternis subordinantur: manifestum autem est ex Philos. 1. Etic. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines. Leges ciuiles si Ecclesiasticis non repugnent, à Pontifice cassari nequeunt. si autem opponantur, ciuilis est irritanda. spiritualia enim, & diuina, à temporalibus dependere non debent.

Deut. 17. prohibetur populus Iudæorum eligere Regem, qui non sit de fratribus suis, ne

ad

ãd idolorum cultum illos traheret: hoc autem est morale præceptum, quod sub vtroque manet testamento: ergo etiam populus Christianus Regem Christianum habere debet, & illum respuere, si commodé fieri potest, cum religionem euertere voluerit. Nam si Apostolus 1. Cor.6. nouos iudices constitui iubet pro Christianorum temporalibus causis iudicandis ne Christiani corã iudice Christi persequutore lites afferre deberent, cur non licebit vniuersali Ecclesiæ Pastori, Principem deponere si iusta adfuerit causa, & vrgens necessitas? Si hoc olim factum non est á prioribus Pontificibus, non ex potestatis, sed virium, & aliarum moralium circumstantiarum defectu ortum est. enimueró Põtifex dignè munus non exequeretur suum, si Regem aliquem regnare pacificè permitteret, qui quamlibet sectam fouere vellet, hæreticosque tueri, vt catholicam euerteret religionem in regno suo. nec Pastor tunc esset, sed mercennarius, quia lupos omni quo potest modo non arceret á grege. quod in veteri testamento fecit Ioiada Sacerdos 2. Paralip. 23. expellens á Regno Athaliam, quæ cultum fouebat Baal.

Summus ergo Pontifex Petri successor, cúm

in Christiana Rep. aliquid sancire opus habet quod omnibus laicis Principibus, pro vniuersali obtinenda tranquillitate confert. & præcipuè si aliunde illud sine armis, & bellico tumultu obtineri non possit, etiam circa ciuiles Regnorum serias causas iudicare, sancire, & constituere potest ac debet. Sic Gregorius 5. legem pro Imperatoris electione dedit, quam Platina in vita Greg. 5. refert. imó ipsi sectarij Magdeburgenses Centuria 10. cap. 10. sic aiũt. *Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus sanxit, vt penes solos Germanos ius esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur: suntque electores constituti, Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi, Marchio Brandeburgensis, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, & Rex Boemiæ.* Hoc autem vel rectè factum fuit, vel tyrannicè, si primum, Papa hoc iure, cum opus est, pollet: si tyrannicè, hoc non affirmabunt quia omnem illam auctoritatem dimittere nolunt. est ergo Papa omnibus Christianis Principib⁹ Pater, Pastor, & Superior. igitur cum Imperatores deposuit, iure á necessitate exorto, non autem tyrannide, vsus est. Vtinam Christian

Princi-

Principes Sedis Apostolicæ iudicio in litibus suis vellent vti: hac enim via, bella, sectæ, hæreses, & plurima mala, quæ Terram occupāt procul abirent, & euanescerent.

Subditos autem fuisse Imperatoribus Pontifices, & ab illis electos opinatur Grotius cum suis Nouatoribus antesignanis. at Constantinus magnus, qui à Spiritu Sancto illuminatus, & edoctus est, Syluestrum Papam nec elegit, nec post baptismum ab eo susceptum illū confirmauit, nec sibi subiectum putauit, sed Christi Vicarium totius Ecclesiæ militantis iudicem cognouit, & vt Patrem iudicem, & pastorem suum veneratus est, vt scribit Ruffinus lib. 1. cap. 2. hist. qui hoc seruauerunt institutum, pii ac recti Principes fuerunt: qui illud abiecerunt, & pietatem, & rectitudinem, ac verum Christianæ fidei sensum dimiserunt. Quantum ad electionem Pontificum ab Imperatoribus aliquando confirmatam, circa huiusmodi ius, an legitimum, an vsurpatum non moror: hoc tamen dico, inde inferre non licere, Pontificem Imperatore superiorem non esse, eumque si opus fuerit corrigere non posse. nam idem Imperator olim á militibus, & Palatinis Comitibus, nunc à præmissis Electo

ribus eligitur, nihilominus post electionem omnibus illis est superior, eosque iudicauit, & iudicat, & si opus sit, pœna multare potest.

Nec Papæ potestas super laicos Principes, ante Henricum, res fuit inaudita. nam S. Gregorius magnus, & huius nominis primus, in priuilegio, quod Monasterio S. Medardi dedit, vt in fine epistolarum legitur, sic ait. *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque secularium personarum, huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ praeceptionis decreta violauerit, cuiuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur:* Fateor tamē quod si summa non vrgeat necessitas, erga Principes vti virga, non expedire, nec congruum esse: nam, vt plurimum exhortatione potius, quàm increpatione, consilio quàm præceptis, doctrina, quàm virga proficitur, magisque ob illis congruum obsequiū sic congruit causam agere.

Quod autem Iustinianus præcepta dederit circa sacra: & Mauritius Gregorio Papæ mandata dederit, & similia, quę in capite hoc Grotius enarrat, per ea quæ dicta sunt redduntur inania. nam quis euangelicæ legis sanum habebit intellectum, & oues Pastoribus licere

prę-

præcipere affirmabit? & Poteſtatem ſpiritualem temporali ſubiacere ac ſubiectam eſſe debere? Nouatores autem, qui extra Eccleſiam facti ſunt propter hæreſes, quos Cyprianus in Epiſt. ad Iubaianum Simijs aſſimilat dicens. Hæretici extra Eccleſiam ſunt, tamen vendicant ſibi Eccleſiæ auctoritatem more Simiarum, quæ cum homines non ſint, nihilominus homines videri volunt. Hi igitur ſenſum Euangelij, & Eccleſiaſticę poteſtatis non obtinent: mirum ergo eſſe non debet, ſi in hujuſcemodi ineptias prorumpat.

CAPVT DECIMVM
De electione Paſtorum.

GRotius. Functiones perpetuæ in Eccleſia duæ ſunt, Præſbiterorum & Diaconorum. Preſbiteri illi ſunt qui verbi prædicatione, Sacramentis, & clauibus Eccleſiam paſcũt. Diaconi qui Præſbiteris aliqua ex parte inſeruiunt; vt olim Leuitæ Iudæorum Sacerdotibus Diaconi inferioris gradus, hypodiaconi dici cœperũt. Diaconia laborioſa eſt, quæ verſatur circa pauperũ curã. Vetus Eccleſia latina Præſbiteros, Seniores trãſtulit: Diaconos miniſtros.

Reſpon-

Respondeo Grotium in Ecclesiastico ministerio enumerando falsum esse & insufficiẽtem. vt autem quæ dixit ordinatè resellamus. Dicimus Episcopum iure diuino esse maiorem Presbitero quantum ad Potestatem ordinis: quia ipse solus potest ordinare Presbiteros & hoc modo generare patres Ecclesię, presbiteri autem Ecclesię filios tantùm generare possunt baptizandò: quod antiquissima Ecclesiæ consuetudo ostendit; quia si aliter factum fuisset irrita res erat: quod irritum non esset, nisi ius diuinum adfuisset. Secundo, maiorem esse Episcopum presbitero quantum ad iurisdictionem fatemur, quod patet Act. 20. vbi Episcopis cura regendi gregem Christi à Spiritú sancto commissa legitur, non autem præsbiteris. & 1. Tim. 5. ab Episcopo legimus Præsbiteros errantes iudicandos esse. Tertiò, Episcopos inter Præsbiteros quasi Principes in cætu consiliariorũ, dicimus quod patet, quia Synodus ab initió Ecclesiæ episcoporum fuit, non præsbiterorum: in Synodis autem iurisdictiò exercetur, quia sacrę leges feruntur, & pœnæ in reos constituuntur, & constat etiam, quia in Ecclesia Episcopi thronum tenent more Principum quod non licet Præsbiteris.

Dicimus

Dicimus secundò, initiò surgentis Ecclesiæ promiscua fuisse vocabula quibus Præsbiteri & Episcopi significarentur vt monet Chrysostomus in epistola Pauli ad Philip. c. 1. hom. 1. sic dicens: *Coepiscopis & diaconis: quid hoc? an vnius ciuitatis multi erant Episcopi? nequaquā, sed Præsbiteros illo nomine appellauit. tunc enim nomina ad huc erant communia: atq; ipse etiam Episcopus idcircò ad Timotheum scribens inquit, Diaconiam idest presbiterium tuum imple, cum tamen ille Episcopus esset: quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis, manum cito nemini imposueris: & rursus. Quæ data est tibi cum impositione manuum præsbiterij Presbiteri verò Episcopum non ordinassent. Et rursum ad Titum scribens, inquit. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Præsbiteros, sicut & ego disposui tibi, si quis sinè crimine est, vnius vxoris vir, quæ quidem de Episcopo dicit. atque hec cum dixisset, statim addidit, oportet enim Episcopum sinè crimine esse, sicut Dei despensatorem, non superbum antiquitus. igitur quæmadmodum dicebam, ipsi etiam Præsbiteri vocabantur Episcopi, & Diaconi Christi. Quo circa vel hodie multi Episcopi ita scribunt compræsbitero*

sbitero, & condiacono, Procedente vero tempore proprium cuique distributum est nomen, vt hic quidem Episcopus, ille verò Præsbiter appelletur hæc Chrysostomus.

Fuerunt igitur prius nomina communia, quia in eximia potestate conficiendi Corpus, & sanguinem Christi conueniebant; quem sensum maximè vrget Hieron. epist. ad Euagrium. & etiam quia ab initio Episcopi positæ maiestate ordinis sui, cum Præsbiteris, vigẽte tunc maximè charitate, dignitatem suam participabant, itaut communi cõsilio, & opere Ecclesias regerent. quem sensum Hieronymus proponit in commentario Epistolæ ad Titum. at temporis cursu quia in proprio munere quisque mansit, episcopi, & Præsbiteri non fuerunt nomina amplius communia.

Accesserunt autem postea Patriarcharum, Archiepiscoporum, Antistitum nomina, quæ ad munerum, & iurisdictionis discrimen posita fuerunt; nam prima vice in Conc. 4. Chalced. Leo Papa dictus est Patriarcha, cuius vocis vsus postea placuit.

Plura protulit in hoc Capite Grotius, quæ cum sint inepta, & tantúm enarrata, non autem probata, omisimus. Quia tandem subdit.

Summas

Summas Potestates idest Principes laicos posse episcopos eligere iuxta opinationẽ Marsilij Patauini,& aliorũ:idcirco ad ea quæ vera sũt enũcianda, & falsa refellenda, Dicimus ad constitutionẽ Episcopi tria requiri,& fieri debere; electionẽ, ordinationẽ & missionẽ seu exhibitionẽ,actualis iurisdictionis super speciale populũ. secundum, & tertium incommunicabile est laicis quibuscunque, quia claues Ecclesiæ nequeunt exercere, quæ Pastoribus, & non ouibus conceduntur. primum vero Principi, vel Plebi tribui potest: & multis in locis est vsu positum, & ab antiquo tempore permissum: ratio est, quia electio non est actus Clauium, cũ nulla tunc communicetur potestas. prætereà tunc fit quædam solemnis testificatio bonæ famæ illius, qui in episcopum ordinandus est, non est autem hoc de iure diuino, vt falsò dicunt Nouatores, sed humano, quod à Papa, & Synodis amoueri, & auferri potest, si ratio, & necessitas adfuerit. Quod autem ius eligendi non insit Principi, vel plebi iure diuino, patet, nam dato opposito, nunquam episcopos absque voto Principis, vel plebis, cui mittitur, ordinare licuisset; imò nec Apostolis, qui ea quę sunt iure diuino sancita alterare nequibant, at

oppositum constat in ordinatione Timothei, quæ ab episcopis solúm celebrata fuit, vt legitur 1. Tim. 4. & adhuc plurimorum per multa sæcula episcoporum. Superest ergo dicendũ ab humano iure descendere, quod posita iusta & recta occasione mutari potest, secundùm potestatem Petro à Saluatore traditam Matth. 16. *Quodcunque ligaueris &c.* & Ioan. vlt. *Pasce agnos, & oues meas.*

CAPVT VNDECIMVM
De muneribus in Ecclesia non omnino necessariis.

GRotius. summa Potestas, quę diuino iure præscribuntur necessitatem exequẽdi habet, circa cætera libertatem obtinet,

Respondeo, Grotium in sui operis serie primatum circa sacra Principibus laicis competere, omni qua potuit efficacia probare contendisse: nos e contra nullum ius circa sacra illis contingere demonstrauimus. idcirco his, quæ in capite præsenti enarrat, non est immorandum. nam quæ sunt, vel non sunt necessaria in Ecclesiasticis muneribus exequendis, laicus Princeps disponere non debet, nec potest.

Grotius

Grotius. episcopatus non est de iure diuino, sed Apostolico: & licet Saluator munus, & eminentiam episcopi in Apocal. approbet, cum ad septem Ecclesias, quę sunt in Asia scribens, eos Angelos denunciet: illos tamen non instituit. quia non statim præcipitur, quod probatur. Christus ergo quod Apostoli fecerunt ratum habuit: sed non omnia Apostolorum acta, & opera ab eo mandata fuerunt. potestatem autem clauium quam Apostoli à Domino acceperunt, euangelizandi & baptizandi potestatem dicimus.

Respondeo. Grotium hac obiectione suum desertoris ritum transcendisse. hucusque Ecclesiæ Pastores omnem suam iurisdictionem à laicis Principibus obtinere eructauit. nunc vt magis illos conculcet eorum institutionem nõ à Christo Domino, sed ab Apostolis originem duxisse denunciat: quod tamen falsissimum est. Quoniam Apostoli fuerunt episcopi, vt Petrus Act. 1. in electione Matthię in Apostolum loco Iudæ testatur, dicens. *Et Episcopatũ eius accipiat alter*. munera autem Apostolorũ à Saluatore immediatè instituta fuerunt, & illis tradita, & Paulus Act. 20. dicebat illis. *Attendite vobis, et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus*

Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei! & ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores, & Doctores &c.* idcirco August. lib. 7. de Baptismo contra Donatistas c. 43 inquit. *Manifesta est sententia Domini nostri Iesu Christi, Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes &c.* & cæteri veteres Patres hoc passim docent. ergo oppositum affirmare error est manifestus.

Potestatem autem clauium ad ius euangelizandi & baptizandi coarctare, iniquitas est, si hoc sensu ea protulit verba, cum plura & maiora sint munera ministrorum Ecclesiæ, quæ supra enarrauimus & ostendimus: si autem ius euangelizandi & baptizandi ad potestatem clauium spectare dicat, non erit redarguendus, quia omnem Ecclesiasticam potestatem in iure Clauium contineri Catholici Doctores docent.

CAPVT DVODECIMVM

De substitutione & delegatione circa Sacra

IN hoc capite Grotius conatur ostendere Episcopos in condendis Canonibus & in depo-

deponendis Clericis &c. vicarios dici laicorum Principũ, quos summas nuncupat Potestates. Et ab eis hoc ius obtinere fatetur. Sed hoc opinari quam sit absurdum, ex his quæ in hac disputatione hucusque diximus, constat. inuertitur enim omnis diuina dispositio si Pastores ab ouibus sua iura desumant. impium enim est affirmare vt qui à Deo soluẽdi & ligandi potestatem immediatè accepit, hoc ius amiserit, illudque deinceps aliunde, scilicet à laicis Principibus reassumere cogatur. Et qui sacris canonibus sunt subiecti & ligantur, ius canones constituendi tribuant. & qui á Deo constituti sunt iudices & Rectores, Ioan. 20. & 21. Act. 20. Ephes. 4. Matth. 16. & 18. aliunde ius iudicandi & regendi sibi quærant & sumant. vt quid opus erat Dominum suos instituisse ministros, si à Principibus sua iura cogerentur assumere? satis erat laicis Potestatibus suam committere Ecclesiam: quia ipsæ ministros sibi delegare nouissent. hæc quippe distorta disserendi forma vt verum fatear, illa est qúam Turri-Babel constructores tenuerunt, cúm cõfusum est labium vniuersæ Terræ.

Nemo autem sibi persuadere debet, Romanum Pontificem Imperiali edicto leges feren-

di

di accepisse potestatem, cum tantum illorum rescriptis Pontificia potestas fota & patrocinata fuerit, Liberius enim sua absoluta potestate legem statuit, qua omnibus præcepit vt pro cassato haberent Concilium Ariminense, quod ipse nullum & irritum esse statuerat: quia in eo minis & dolo Verbi diuini consubstantialitas fuerat blasphemata. Et simili modo Liberius sanciuit ab Arianis baptizatos, rebaptizandos non esse. Siricius Papa ad Himerium Tarraconensem rescripsit vt sua decreta ab omni Ecclesia custodienda essent. anno 385. his verbis. *Quamquam statuta sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli ignorare sit liberum.* &c. & pœnam minatur contradicentibus. Et in codice canonum extat decretum Innocentij primi pro disponenda Antiochena Ecclesia; quamobrem in Concilio Ephesino Act. 4 dictum est, Antiochenam Ecclesiam vsu iam dispositioni Apostolicę sedis subiacere. Hinc est Nouatores frustra garrire aduersus Leonem Papam quod hanc leges ferendi vsurpauerit potestatem, & illam à Valentiniano Imperatore obtinuisse auctoritatem, eo quia hoc dedit rescriptum *Cum igitur sedis Apostolicæ primatum B. Petri meri-*

tum

tum, qui est princeps sacerdotalis coronæ, & Romanæ ciuitatis dignitas, Sacra etiam Synodi firmarit auctoritas. & postea. *Verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hac perenni Sanctione decernimus, ne quidtam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ tentare: sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedes auctoritas.* quia præcitati Pontifices, qui suas dederunt leges, ante Leonem, & Valentinianum Pontificatum gesserunt: ergo Principes laici sedi Apostolicæ non potestatem leges ferendi dabant, sed Pontificum Sacrarum legum executionem & obseruantiam legibus suis mandabant.

Hanc Romani Pontificis iudicandi vniuersam Ecclesiam, & leges ferendi in eadem optimé nouit antiquus Ecclesiæ Doctor Cyprianus, qui etsi lib. 4 epist. 55. grauiter commotus est quia episcopi aliqui in Africa damnati Romam se contulerunt, causam dicens fieri debere vbi adsunt accusatores, & testes, nihilo minus hoc ius agnouit in Romano Pontifice,

nam


nam Stephano Papæ sic scripsit. *Facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne inimicum Collegio nostro insultare patiantur.* & postea. *Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate consistentem à Te litere, quibus arstento Marciano, alius in locum eius substituatur* quibus verbis ius iudicandi, & definiendi Romani pontificis erga omnes episcopos apertè denunciatur. dũ Cyprianus à Stephano Papa exigit, vt suis literis Marcianum damnet, & alium substituendum decernat. Ex his etiam notandum est decretum de Appellationibus pro Romana sede à Concilio Nicæno, & Sardicensi editum, ei datum non fuisse, vt potestatem hanc acquireret, sed vt potestas huiusmodi nota fieret; & modus appellandi omnibus aperiretur.

Victor etiam, Romanus Pontifex anno 198. Asiaticos excommunicauit, quia Pascha non die dominico, sed 14. Luna Martij celebrare statuerant. Ireneus tamen Victorem monuit, vt ob hanc rituum diuersitatem tot Ecclesias non seiungeret. annuit Victor; ideoque Asiatici á communione reiecti non fuerunt. vt Sozomenus, & Socrates lib. 5. capit. 22. innuunt, propter communionem

Victoris

Victoris, & Polycratis non interruptam; quod ex Irenei monitis ortum duxisse affirmandum est. Quodautem nos ad rem inde elicimus est, Romanam Cathedram leges, & iudicia ac definitiuas sententias super vniuersam Ecclesiam ab initio dedisse. non mendicat ergo ipsa leges ferendi potestatem á laicis Principibus: vt ad suam ipsius perditionem Grotius cum Nouatoribus opinatur.





DISPVTATIO QVINTA

An Christiana Plebs in regimine Ecclesiastico ius aliquod à Domino obtinuerit,



NTECEDENTIS disputationis resolutio, ex sacrarum scripturarum legitima intelligentia exorta, & ex veterum catholicæ Ecclesię Patrum ac generalium Synodorum doctrina, recta indagine collecta, Dauidis Blondelli machinationem, quam in disputatione præsenti referimus, funditus destruit ac euertit. Enimuerò cum Petro supremam super Ecclesiam potestatem Vnigenitus Dei tribuerit, vt hucusque luculenter ostēdimus: & fideles omnes, oues á Petro pascendas, firma sanctione Redemptor noster constituerit, consequens est, vt Plebs summam Petri in regimine Ecclesiastico potestatem vsurpare non debeat: & qui ouis est, munus Pastoris arripere non præsumat. Quia tamen multa obijcit Blondellus,

vt

vt hanc suam, & aliorum Sectariorum opinationem veram esse ostendat; ea omnia ordinatè enarrabimus, & consimili ordine redarguemus.

Sed priusquam cum Blondello manus conseram, animaduertendum dicimus, ad Ecclesiæ Pastorem constituendum, tria requiri: electionẽ, ordinationẽ & missionẽ, seu designationẽ, consecrationem, & actualẽ iurisdictionem super specialem populum. Hæc autem tria, quę Pastorem & Ecclesiæ ministrum instituunt, actus esse diuersos, perspicuo Sanctarum scripturarum exemplo constat. Dominus enim designauit Apostolos, deinde eos in Cœna & post resurrectionem ordinauit, & tandem missi sunt ad Ecclesiastica exequenda munera. Act. 6. Apostoli Diaconos instituendos decernunt: primò fidelium multitudo eligit illos: Secundò, Apostoli eos consecrant manus imponentes: tertiò mittuntur ad ministerium exequendum. Timotheus, epist. 1. cap. 4. eligitur Pastor: consecratur autem ab Episcopis, quia dicitur, *cum impositione manuum Presbiterij*: mittitur tandem ad Ephesinum Populum gubernandum ab Apostolo: nam cap. 1. ait. *Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi &c.*

Titus cap. 1. eligitur primò Episcopus á Paulo: secundò ab eodem consecratur & ordinatur: tertiò ad Cretensem regendum Populum mittitur, vt ait Apostolus: *Huius rei gratia rel qui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Præsbiteros, sicut & ego disposui tibi*, Electio autem Matthiæ in Apostolum, res fuit peculiaris & seria, ideoque á Deo petenda erat: quamobrem illius institutionis modus, Sectarijs minimè fauet: quia talem eligendi ritum non seruant: nec Catholica Ecclesia illam tenet eligendi formam, quia neminem Apostolum, illis prioribus similem, instituere intendit, sed tantùm successores illorum, quoad ordinem Præsbiteratus, & Episcopatus.

Igitur firmo hoc fundamento posito de tribus actibus ad Pastorem & Ecclesię ministrum integrè constituendum requisitis; Electione scilicet, consecratione, & missione, inspiciendum erit ex diuinis scripturis, & ex actis veterum Catholicæ Ecclesiæ Patrum quibusnam illos exhibere contingat, Plebian Pastoribus: hic est huius disceptationis nodus.

Saluator noster suæ Ecclesiæ ministros elegit, sacrauit & misit, nullo habito consilio &

con-

consensu Populorum, vt Euangelium testatur. Paulus eodem modo sacrat & mittit Timotheum, & Titum: electio á quo fuerit non exprimitur. Diaconi præcipientibus Apostolis, à plebe eliguntur, ab Apostolis tamẽ sacrantur, & mittuntur, vt scriptura Actorum cap. 6. denunciat.

Veteres Ecclesiæ Patres ante Constantini Magni conuersionem ad Christum, aliquando à se, quandoque á plebe electos ordinabant & mittebant. Post Constantinum, Principes sæpe elegerunt, rarò plebs, sepius Pastores. nunc tẽporis plerique Christiani, & pij Principes hoc ius eligendi etiam obtinent: nihilominus ab Ecclesiæ Pastoribus nunc, & olim, tam à se quám à cęteris electi consecrantur seu ordinantur, & mittuntur. Pontifex enim dũ ordinat, & mittit ait. ¶ *Prouidemus* Ecclesiæ tali de tali Persona, & præficimus eum in Patrem, & Pastorem ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti, *Amen*. ¶ Quod rationi consonum est: nam à potestate clauium hæc emanant: Claues autem a Domino principaliter Petro, & cæteris Pastoribus depẽ-

den-

denter traditæ ſunt,non autem omni populo, vt Euangelium teſtatur: nam ſi omnes haberent huiuſmodi Claues, qui nam eſſent, qui introducendi, vel excludendi ſunt? ſi omnes Pactores, vbi oues? oppoſitum enim opinantes, manifeſté delirant.

Ex præmiſsis ergo tribus Actibus ad conſtituendum integrè paſtorem, & Eccleſiæ miniſtrum requiſitis, electionem tantùm à pluribus, & diuerſis poſſe fieri, & factam fuiſſe, cõperimus; poſteriores autem, ordinationem, ſcilicet, & miſsionem, à Plebe vel principibus nunquã: á Paſtoribus ſemper, ergo Blondelli, & cæterorum conſimilium Sectariorum machinatio, inepta, ſeditioſa eſt, & apoſtatica: dum ex ſola eligendi permiſſa aliquando Plebi conſuetudine, omnimodam Eccleſiaſticam poteſtatem Plebi attribuere præſumunt.

Supereſt nunc vt Blondelli obiectiones, refellamus, vt ſciat in cauſa hac non Dauidis, ſed Goliath Philiſtei geſsiſſe perſonã. Prima obiectio: Plebs, quæ populus est docibilis, quæue vnctionem accepit à ſancto, ac filiorum Dei adoptionem; genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus accquiſitionis, á iure in ſacra quomodo iuſtè remoueri poteſt? &

in

insuper bestijs assimilari, quibus Exodi 19. ad montem sanctum accedere facta est prohibitio? eidemque lectionem sacrorum librorum interdicere: dum scripturarum versio in vulgarem liguam fieri prohibetur?

Repondeo, Christianam & Catholicam Plebem vtique pepulum esse docibilem, à Spiritus sancti gratia sanctificatum, & consequenter pro cœlestis regni assequutione adoptatum, Christi Domini sanguine redeptum & acequisitum: ex quo viri assumuntur, vt sacra mediante ordinatione, sacerdotio fugantur &c. at cùm inde infert, ergo Plebs potestatem & iuiurisdictionem habet circa Sacra, inepta & voluntaria est huiusmodi sequela: nam Plebs sacramento baptismi sanctificatur, confirmatione roboratur, Eucharistiæ sacramento spirituali nutritione augetur, fide credit, spe ad cœlestia aspirat, charitate diligit; at rebus huiuscemodi potestatem circa sacra, seu Ecclesiastica non obtinet. nec his positis, Plebs Doctore & Pastore, & similiter Iudice circa sacra non indiget: igitur etsi spiritualem vnctionem habeat, sub Pastoribus existit, & Doctore opus habet: alioquin Deus in Ecclesia Pastores & Doctores tribuere nõ debuisset. vbi nam legi-

sti

sti Blondelle, virum aliquem potestatē Ecclesiasticam obtinuisse, nisi prius à Pastoribus ordinatus fuerit, & ad clerum adscriptus? in hoc tuo libello fateris Ecclesiam, primis trecentis post Christum annis, integré Euangelicam veritatem retinuisse: ex quibus nam Auctoribus & Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus accepisti, ex Plebe aliquem assumptum fuisse, non prę- uia sacra Ordinatione, quæ à Pastoribus seu Episcopis semper collata fuit? quo tempore Plebs ordinauit ac instituit Sacerdotes & Pastores? omni autem tempore, & vbique locorum Pastores seu Episcopi viros ex Christiano populo assumpserunt: eosque sacris Ecclesiæ ritibus ministros Ecclęsiæ ordinauerunt ac instituerunt: Et exinde iuxta præacceptam ordinationem, potestatem exequebantur Ecclesiasticam: hoc ipsa diuina scriptura docet. 1. Tim. 4. Apostolus ordinationem Timothei in episcopum enarrans ait. ☞ *Noli* negligere gratiam quæ in te est, quę data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum *presbiterÿ* ☜ idest Præsbiterorum seu episcoporum, vt veteres Patres interpetrantur: nam ab initio huiusmodi nomina distincta, & distributa non fuerant, vt in antecedenti disputatione ostendimus

dimus. ad Titum cap 1. inquit Apostolus. *Huius* rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quę desunt corrigas, & cõstituas per ciuitates præsbiteros, sicut, & ego dispofui *tibi*.

Si plebs ouis est Christi, quomodo erit Pastor? si Pastor á Redemptore potestatem circa sacra obtinet, & exequitur, quomodo oues ius habent, & potestatem super pastores? Plebem autem à Pontificibus assimiliari bestijs, desertorum est impostura. illud enim exodi 19. *Cauete* ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem morte morietur. siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet. à Catholicis assumitur á simili ad docendum populum circa sacra potestatem non habere, non autem ad illum bestijs æquiparandum. Nec sacrorum librorum lectio alicui interdicitur: etsi versionem scriptu rarum in vulgarem linguam Ecclesiæ Pastores non libenter approbent, quia ab initio scriptæ fuerunt tantúm hæbraice, Græce, & latinè: quæ proprijs terminis, & nominibus gaudent, nec alterationem patiuntur, vt vulgaribus verbis accidit: quamobrem scripturarum sensus paulatim rueret, dum plures vulgares termini indies diuersificantur. Addo: quod

ſcripturas legere, non omnibus expedit, cum ob difficultates plurimas, quæ in illis ſunt, rarò à vulgaribus hominibus intelligerentur: & hoc modo, vel contemnerentur, vel errores in mẽtibus legentium gignerentur. Hinc aptè ad Blondellum confundendum, quæ Hieronymus in epiſtola ad Paulinum de ſtudio ſcripturarum docet, referam: ☞ *Quod* medicorum eſt, promittunt medici, tractant fabrilia fabri, ſola ſcripturarum ars eſt, quã ſibi paſſim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique pœmata paſſim, hanc garrula anus, hanc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam *diſcant.* ☜ Vir ergo iſte, antiquitate, doctrina, & ſanctitate conſpicuus, vulgarem ſacrarum ſcripturarum lectionem damnat: Blondellus ergo illam commendare non præſumat. ſequitur igitur non aliud ius circa ſacra, Plebem habere; quám vt doceatur, Sacramenta ſibi conuenientia veneretur, & ſumat, Paſtoribus obedientiam præſtet, vt Paulus ad Heb. 13. inſinuat: & clero, cúm Paſtoribus rationabile videtur, poſſit aſcribi.

Secunda obiectio, qua Blondellus contra catholicam veritatem prçcipuè vrget, hçc eſt

Saluator

Saluator noster Matth. 18. expressè docet fidelem reum, primò corripiendum esse, etiam adhibitis duobus, vel tribus testibus, & tandem accusandum esse coram Ecclesia, & ab illa iudicandum: Ecclesia autem est multitudo fidelium, quæ nomine Plebis denunciatur à Patribus: ergo tribunal Ecclesiæ apud vniuersam Plebem residet. Cúm enim Ecclesia huiusce modi iudicium profert, tunc ligat, cùm ignoscit, tunc soluit. Hoc luculenter docuit Gregorius Papa qui l.b.4. epist. 38. inquit. *Seruamus, quod veritas præcepit dicens: si peccauerit inte frater tuus &c. Ego itaque per responsales meos semel, & bis, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: nunc per meipsum scribo: quicquid facere humiliter debui, non omisi: sed si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere*. hoc idem omnes veteres Ecclesiæ Doctores similibus verbis docent: ergo vltimum, & supremum tribunal circa sacra, est Ecclesia, quæ est multitudo fidelium, & Plebis nomine gaudet: igitur á Plebe non est auferendum ius in Ecclesiastico regimine, cùm illud à Domino obtinuerit.

Respondeo, Saluatorem nostrum Matt. 18. manifestè docere modum, quo reus inter fi-

deles, à fidelibus iudicandus est: primùm moneri debet non adhibitis testibus: secundò coram testibus: tertiò denunciandus est Ecclesiæ vt iudicetur. cùm Blondellus ait at Ecclesia est congregatio omnium fidelium seu Christianorũ, ergo huiusmodi multitudo est vltimum & supremum tribunal Ecclesiæ: ineptissima est hæc illatiò: nam Cyprianus (quem tu Blondellus non respuis, quia inquis, fuit Ecclesiæ Doctor antequam Magnus Costantinus Romanam Petri cathedram fauoribus & gratijs prosequereretur) lib. 4 epist 9 ad Florẽtium ait. *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Pastori ergo denunciandus est vt iudicetur, & Pastor Ecclesiasticum obtinet tribunal, non autem Ecclesia pro ea parte quæ plebs est & ouis: quod duplici ratione probo: prima, quia metaphora Redemptoris nostri de Pastore & ouibus rueret, si plebs supra Pastorem tribunal iudicij possideret: nam ouibus maior est Pastor, qui illis præesse tenetur: non autem oues Pastoribus præsunt, nisi insanire velimus. secunda, quia Ecclesiæ tribunal apud illos est, qui potestatem ligandi & soluendi à Domino acceperunt: at Petro & cæteris Apostolis eorumque successoribus non

autem

autem Plebi hanc tribuit potestatem: vt Euangelum testatur: oues enim ligantur vel soluuntur, Pastores autem ligant vel soluunt, apud sanos homines: Hinc Hieron. in Matth cap. 18. tomo 6. super illud. ¶ *Si* peccauerit in te &c. ait. Quia dixerat, si autem Ecclesiam non audierit. sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio; si me despicis, & ego te despicio si tu me cõdemnas, & mea sententia condemnaberis: potestatem tribuit Apostolis, vt sciãt qui à talib⁹ cõdemnãtur, humanã sententiã diuina sẽtẽtia roborari, & quodcũq; ligatũ fuerit in terra, ligari pariter & in *Cœlo*. ¶ Cur Hieronimus nõ asserit Plebi, potestatẽ datã esse ligãdi & soluẽdi á Domino si de correptione quæ fit etiam à Plebe tunc sermocinabatur? ideo Blondelle, quia cum reus ad iudicij tribunal defertur, ad Pastores illud diuino iure possidentes transferes euidens est, remota perfidia & contumacia.

Gregorius autem cúm ad Episcopum Cõstantinop. puniendum vniuersam Ecclesiam adhibere minatur: non ideo sic loquutus fuit, quia corpus Ecclesiæ tribunal supra se possidebat sed ad maiorem hominis malefici confusionem

fusionem, & ad maiorem actus solemnitatem: vt omnibus iudicium rectum esse constet, ac extensiuè magis ratum. sicut si Rex, qui potest solus reum iudicare, omnes Consiliarios adhibeat, non sequitur concilium illorum maioris esse auctoritatis & vltimum tribunal, sed solummodo magis solemne: sic in casu nostro. & hic est omnium sanctorum Patrum ac Doctorum sensus quos in re huiuiuscemodi pro se citat Blondellus. Confirmatur hæc veritas per ea quæ idem Gregorius, qui ab obijciente citatur, operatus est. nam præfatum Ioannem Episcopum sic redarguit, vt censuras in eum inferre minetur, nisi resipiscat: ipse illum iudicat: ergo non ideo omnem Ecclesiam adhibere minatur, quia potestas iudicandi illi deerat, vel quia maior erat corporis Ecclesiæ auctoritas. Præterea quis vnquam legit, & vbi, vt Plebs ferat vel ferendi censuras potestatem habeat? ab initio Apostoli, & omni sequenti tempore Pastores Ecclesiæ hoc obtinuerunt, & exequuti sunt ius: Plebs nunquam. Præterea cum Petrus ibidem dixerit: *Domine quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? vsque septies?* ergo tunc Saluator loquutus est de modo & forma iniurias remittendi, quas homo particularis

ticularis

ticularis ab alio particulari patitur. non autem de omnimoda potestate, quam Pastoribus Ecclesiæ Dominus tribuit, pro legibus scilicet serendis, & controuersijs fidei ac morum decidendis &c. Addo; Cyprianus lib. 1 epist. 3. lib. 2. epist. 1. lib. 4. epist. 2. & ad Iub. in fine expressè docet, Episcopum soli Deo actuum suorum rationem reddere debere: ergo nec potestas illius nec potestatis exequutio à Plebe emanat, nec ab ea dependet, nec maiorem illo potestatem Plebs obtinet: imó nullam: quia dato opposito, non soli Deo, sed & Plebi actuum suorum rationem reddere teneretur, si ius regendi á Plebe obtineret.

3. Tertia obiectio. Periculum Pauli Act. 9 omnes fratres cum cognouissent, Cęsaream eum deduxerunt, & emiserunt Tarsum Act. 11 audita Cornelij conuersione, Plebs disceptauit cum Petro, an rectè factum fuisset. Act. 12. Petrus liberatur ab Angelo ex carcere: & dictum est, Renunciate Iacobo & fratribus, idest curæ Iacobi commissis, quia illius Ecclesię erat Pręsidens. Act. 13. pro segregandis Saulo & Barnaba, vniuersa multitudo operabatur. Act 14. Paulus & Barnabas ad vniuersam Ecclesiam ostium Gentibus circa fidem apertum retulerunt.

runt. Act. 15. Paulum & Barnabam ad Apostolos in Ierusalem fidelium multitudo misit: & actio illa ab omnibus peracta fuit: epistolæ ad Antiochenos scriptæ titulus fuit, Apostoli, & Præsbiteri & fratres: & multitudini congregatæ legáti epistolas dederunt: cum pace á fratribus ad Apostolos dimissi sunt: Paulus electo Sila á fratribus commendatus est. Act. 16. Timotheo qui Listris & Iconij erant fratres testimonium dederunt. Visis fratribus Paulus & Silas Philippis egressi sunt Act. 17. Fratres per noctem Paulum & silam Thessalonica Berream emiserunt. Act. 18. Paulus vale dicto fratribus Corintho Syriam nauigauit: cumque descendisset, salutauit Ecclesiã. Ephesi fratres Corinthijs scripserunt, vt exciperent Apollinem. Act. 21. salutatis fratribus Paulus abijt: fratres exceperunt: conuenit multitudo vt audirent. Act. 28. Cum Pauli gesta audissent fratres in occursum illis prodierunt: Paulus Romanis scribens, omnibus fratribus scripsit. & similiter scribens plures epistolas, ad omnem multitudinem eas direxit. Ad Coloss monitorem Archippi Pastoris sui plebem Paulus voluit. scribens ad Heb. mandat vt præpositis obediant, quasi illis non scripserit: salutare tamen

dum? exempli gratia: dicite Gubernatori, & eos præcepit. Iacobi Epiſtola ad 12. Tribus dirigitur. ſimiliter epiſtola Petri ad omnes fideles: ergo Apoſtoli voluerunt Plebem ſecum conſulere, explorare, decernere, inordinatos cõpeſcere, notare, abdicare ductores ſuos, &c. igitur Plebs ius habet in Eccleſiaſtico regimine

Reſpondeo, Blondellum ex his, quæ nunc obijcit, & enarrat, ineptiſsimè ſyllogizare, & tam inaniter concludere, vt non mirari non poſsim, cur talia obijcere non puduerit, cum huiuſmodi diſſerendi modus, potius ludendi, & irridendi ſit materia, quàm ſeriò diſputandi. exempli gratia. Dicite Regnicolis quia claſſis incolumis ad Portum peruenit, ergo Regnicolæ ſeu plebs Regni ius habet in iure Regnandi. Vel ſic, Rex ſcribit, ſalutans omnem populum; ergo omnis populus ius habet in Regia poteſtate; quis non irrideret huiuſmodi inſanias? sic enim præmiſſa hac ſua obiectione ſyllogizat Blondellus, & quod ita sit, deſcendamus ad singula, quæ ipſe obijcit. Periculum Pauli Act. 9. cum omnes fratres cognouiſſent, Cæſaream deduxerunt eũ, & emiſerunt Tharſum: numquid omnis, qui á periculo Principem liberat, ius habet ad principatum? quis sic

delirauit vnquam: eripere autem Apostolum ab imminenti vitæ periculo, propter instantes infidelium persecutiones, nullũ quippe apud sanos homines, ius infert ad Apostolatus munus, & potestatem. Act. 11. audita Cornelij conuersione, Plebs disceptauit cum Petro an recte factum fuisset. Respondeo, Iudæos neophitos, audita Gentilium conuersione Petrum interrogasse cur cum Gentilibus manducasset, & ad illos introisset, quod à lege Moysis fuerat Iudæis prohibitum: & ille cum eos docuisset, quia Dominus statuerat etiam Gentib⁹ euangelizandum esse, *His* auditis tacuerũt, & glorificauerunt Deum dicentes, ergo & Gentibus pœnitẽtiam dedit Deus ad *vitam*. sed vnde quæso hinc rectè inferri potest, illos qui interrogauerunt, ius habuisse in Apostolatus Petri potestate? si enim omnis disceptãs cum optimate ad rei notitiam obtinendam ius cum Optimate posſideret, plures homines optimates essent, & Principatus ius accquirerent. Act. 12. Petrus Angelico ministerio, e carcere liberatur, dixitque, nunciate hoc Iacobo, & fratribus, id est plebi, ergo Plebs ius habet in regimine Ecclesiastico: quis non irrideret huiusmodi ineptum, imò insanum differendi mo

dum

Plebi, quia Rex á periculo vitę in bello, genelico auxilio liberatus fuit: ergo Plebs ius habet in Regia potestate; sed abeant huiuscemodi ineptiæ. omnis enim hæc Blondelli obiectio, cum talibus insanijs, plena sit, vt sano Lectori patet, non indiget vlteriori doctrina pro illi obiectiunculis soluendis, vel potius irridends.

Vt autem plené Lectori satisfaciam, considerandum est, olim in Ecclesia fuisse plerisquis in locis consuetudinem, cúm Pastores constituebantur, omnem populum fidelem conuocãdi, vt præsens existeret, dum is qui eorum Pastor futurus esset, instituendus erat, & ordinadus, vt maiori vnitatis vinculo connecterentur, eo amplius quia Ethnicorum Principum furor tunc aduersus Christianam fidem augebatur: & vt omnes maiorem venerationem erga Pastores suos haberent, cum illum Pastorẽ omnem populum fidelem pascentem, & regentem viderent, qui communi assensu á Pastoribus ordinis & iurisdictionis potestatem accepisset: at non ideo hoc factum fuit, vt à Plebe reciperet iurisdictionem, & institutionẽ, cum ab Apostolis eorumque successoribus illã obtinere debuerit: cursu tamen temporis, postquam Principes euangelium venerati sunt, ple-

bis ſuffragium & teſtimonium nec neceſſarium extitit, imó remouendum fuit, quia, æmulationes, odia, diſſidia, rixæ acceſſerunt, cum quiſque ad dignitatẽ Paſtoris promouere amicum vel affinem voluiſſet: hinc eſt quod Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, cui omnium ouium ſuarum Saluator curam commiſit, vt hæc mala prohiberet, Plebis aſſenſum vel acclamationẽ ſeu propoſitionem, vbi hæc vigebat conſuetudo, prohibuit. Et hoc etiam primis Eccleſiæ ſęculis ſancitum legimus. nam in Concilio Nicæno primo can. 3. habetur, Epiſcopum ordinari debere ab Epiſcopis Prouinciæ, vel ſaltem á tribus, & omnium quæ fiunt firmitas metropolitano tribuatur Epiſcopo: de iure autem Plebis nulla facta eſt mentio: ergo Paſtores Eccleſiæ ab initio hoc neceſſarium fuiſſe cognouerunt. Quod autem olim Plebs in electione Paſtorum nullum aliud ius habuerit, niſi teſtimonium ferendi de vita & moribus ordinandorum, patet ex Cypriano qui Primas in Africa tenuit tẽpore Ethnicorum Principum ipſe enim libro 1. epiſt. 4. ait. coram omni Sinagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, ideſt inſtruit & oſtendit ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fie-

ri

ri oportere, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. & infra: propter quod diligenter de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eã plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & epiſcopus deligatur plebe pręſente, quę ſingulorum vitam pleniſsimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit. Hęc Cyprianus. ergo nunquam Plebs ius habuit in Eccleſiaſtico regimine. quia ſola præſentia cum onere teſtificandi, ius regiminis non eſt, nec infert. Plura veterum Patrum affert Blondellus teſtimonia, quibus oſtendit olim Eccleſiæ Paſtores, conſenſu, & conſilio Plebis cuncta diſponere ſolere: at quod tempore Ethnicorum Principum pro maiori vnitate ſeruanda actum eſt, ad ius in regimine trãſferre, ſophiſma eſt: nam Conſiliarij Principũ cum quibus Reges cuncta diſponunt, nullum ius obtinent circa Regiam poteſtatem: eodem igitur modo in re hac aſſerendum erit. nihil ergo Blondellus concludit, vt oſtendat Plebem

ius

ius habere in regimine Ecclesiastico?

Quarta obiectio. Post collapsam primigeniam Ecclesiarum disciplinam, magis ac magis viluit Christianæ Plebis dignitas. Et sicut nomen seniorum euanuit, sic & illorum Functio. Dominus enim vocem Maioris & senioris designauit. Circa annum Domini 412. nõ solum Barbari, sed etiam Romani dicere solebant, vt August. ait. epist. 178. senior aarmen, idest Domine miserere. scriptores autem quoscunque Optimates non dubitabant vocare seniores: alij solebant Proceres vocare seniores: senior enim olim Principem significabat. Vnde ex voce senioris descendit ad Italos signore, ad Gallos seigneur, ad Hispanos sennor senioratus, latinis signoria, Gallis signeurie, Hispanis senhoria; isti enim seniores Ecclesias suis legibus olim regebant, qui á Plebe eligebantur. Quia autem hæc Ecclesiastica disciplina corruerat, coacti sunt Principes per Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam & Heluetiam, Ecclesiam reformare: & varias corruptelas, quæ ab Ecclesiæ Pastoribus introductæ fuerãt, reijcere: quæ tamẽ consulta Plebe perfecerũt, vt olim erat in vsu: habuit ergo õni tẽpore christ. Plebs ius in Ecclesiastico regimine.

Re-

Respondeo hæreticorũ esse consuetudinem omnia in malam partem accipere. etiam quæ rectißimé disposita fuerunt: nec mirum, nam vulgo dicitur, *Omnia peruersæ poßunt peruertere mentes*. Post quam Romanorum Imperator Constantinus pacem dedit Ecclesiæ, Syluester Romanus Pontifex, & Nicænum generale concilium, quod ab eodem Syluestro coactum fuit, cui viri Sanctißimi adfuerunt, plura pro stabilienda Ecclesiastica disciplina constituerunt: cum prius ob Ethnicorum Principum aduersus Christi Ecclesiam feritatem, õnia quæ disponenda erant Sancire commode & aptè permissum non fuerit illius Pastoribus: Blondellus autem cum cæteris hæreticis, huiusmodi sacras constitutiones, deprauatos mores impudenter proclamare audet; & Ecclesiasticam disciplinam, quæ per sacros Canones firmata ac ordinata fuit, collapsam, & dirutam illi denunciare placet: quasi Saluator, cùm Petro dixit Matth. 16. *Quodcunque ligaueris, etc.* non legislatorem Ecclesiæ, sed funarium vel militem ad ligãdos maleficos illũ instituisset.

Cúm dicit nomen Seniorum euanuisse, nescit de quibus affirmat. Nam ab initio nomina ministrorum Ecclesiæ adhuc distributa non erant

erant, vt diximus in præcedenti disputatione, veterum Patrum allatis testibus: nam Pastor, Præsbiter, Episcopus, Antistes, Maior, Præpositus, Præfectus, & similia, varijs muneribus, & funtionibus distributa & attributa non statim fuerunt: Paulus ad Heb. cap. 13. Episcopos Prępositos vocat. in epistol. 1. ad Tim. Paulus eundem vocat Episcopum, & Episcopos cap. 4. deinde nuncupat Præsbiteros. & cap. 5. simplices præsbiteros enunciat seniores; nam illum monet vt seniorem non increpet. Petrus Apostolus epist. 1. cap. 5. dicit se seniorem idest Præsbiterum; vt Græcè legitur: sic enim ait. *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum.* Deinceps autem Ecclesia singulis muneribus & ministerijs propria nomina attribuit. non euanuit ergo nomen senioris ex Ecclesiasticæ disciplinæ corruptione, sed eiusdem nobiliori ac exactiori dispositione. Si enim olim senioribus dicebatur Domine miserere, Episcopis & Præsbiteris dictum fuit quia potestatem peccata dimittendi, & populũ benedicendi obtinent & exequuntur, quod etiam nunc temporis est in vsu. Augustinus tamen loco citato docet Deo sic dici à Barbaris Go-

Gothicam linguam Roma capta didicerant. illud enim verbum sihora armen, Gothicum est. & eodem modo homousion, etsi Græcum nomen sit, rectè vsurpatum fuisse ad vnitatem diuinæ substantiæ in Personis diuinis demonstrandam, dicebat Augustinus: idcirco á Blondello hoc ineptè refertur, cum ad suum probandum institutum minimè conferat. & senio res huiusmodi, nempe Episcopi, suis legibus olim Ecclesiam regebant, & nunc etiam gubernant: & hinc iure á voce senioris, dicitur Signore, seigneur, sennor, quia sacerdotalis auctoritas potestatem præsefert, idcirco ad omnes potestatem habentes translata est, & attributa fuerat.

Cúm subdit, Quia autem hæc Ecclesiastica disciplina corruerat, coacti sunt Principes per Germaniam &c. Ecclesiam reformare: dico, si vnitatem in credendo & credibilibus præfati Principes obtinerent, aliquo stibio eorum apostasiam Blondellus circumlinire valeret: sed cum sint diuisi, & alter alterum cõdemnet & hæreticum denunciet, nulli sano homini poterit Blondellus hoc persuadere. nam Caluinistæ Hugonottæ, damnant Lutherum & Lutherani Caluinistas: Anabaptistæ vtrosque

 dam-

damnant, & ab vtrisque respuuntur. & adhuc sectæ, quę apud illos sunt, ad inuicem diuiduntur & aduersantur; nam Purilutherani, Lutherosiandriani, Semilutherani, luthero zuuigliani, Antilutherani; Lutheropapistæ, Miricani, Oriandriani, Stancariani, Elessingerij, Musculani, & Melanctonici, ad inuicem pugnant, & alter alterum reijcit & refellit: hæccine est reformatio Ecclesiasticæ disciplinæ? est ne hæc Ecclesia, an Turris Babel? aperiat misericors Dominus corda vestra & intelligētias vestras, vt cognoscere valeatis vos omnes apostatas & desertores, non autem reformatores esse catholicæ fidei & disciplinæ.

Plura in suo libello obijcit Blondellus, sed quia in præmissis disputationibus, ab alijs hæreticis obiecta, & à nobis reiectá ac soluta fuerunt, & etiam ex his quæ diximus, facilè soluuntur, idcirco & obiectiones & solutiones non iterantur, sed omittuntur.

FINIS.

RERVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS INDEX.

A

C

D

E

Gladij

INDEX

G

I

M

P

Pote-

R

Regum


S

V

FINIS.

Errata sic Corrige.

PAg. 2. Apostolatum. Apostolatus. 41. pleueras, impleueras 51. medij, medijs. 61. proponi, proponit. 61. queppe, quippe. 63. ipsi, ipsis. 66. reata, relata. 69. telesis, testis. 69. spontaneæ, spontaneè. 73. istantia, instantia. 82. ia, in 84. vllas, vlla. 121. iusta, iuxta. 122. reggere, regere, 133. quo, quod. 133. vobis, nobis. 213. summus, summas. 238. innumeros, innumeras. 238. reddituri, redditurus. 249. genis, gens. 261. an, ac. 264. errant, erant. 267. ac, hac. 270. vera, verò. habetur, debetur. sed, sed non. 272. dicicut, dicitur. 276. causa, causam. 276. nihil, habere non. 288. ille, illi. 300. &, te. 357. Turri, Turris. 360. arstento, abstento. 362. loculenter, luculenter.



R O M AE.



Ex Typographia Francifci Fælicis Mancini.

ANNO D. M. DC. LVI.

SVPERIORVM PERMISSV.





